

Aby rozpocząć lekturę,  
kliknij na taki przycisk ,  
który da ci pełny dostęp do spisu treści książki.

Jeśli chcesz połączyć się z Portem Wydawniczym  
LITERATURA.NET.PL  
kliknij na logo poniżej.



**ANDRZEJ FRYCZ MODRZEWSKI**

**COMMENTATORUM  
DE REPUBLICA  
EMENDANDA  
LIBRI QUINQUE**

Tower Press 2000

Copyright by Tower Press, Gdańsk 2000

## CAPUT I

Legem iniustis esse positam Quanta bonorum morum uis sit quamque et publicae et priuatae res eis contineantur ac sine eis nec homines priuati parere, nec magistratus recte imperare possint, superiore libro satis, ut uidemur, exposuimus. Nunc de legibus, quibus iudicia exercentur, scribendum duximus. Ac illud quidem perspicuum est, si casta educatio, uerecundia, probitas, puri et sancti mores uigerent in aliqua republica, in ea legibus minime opus esset, non enim leges scribuntur bonis uiris, qui moderatione et moribus, non metu parent honestati. Verum ea est peruersitas, ea impudentia et licentia malefaciendi, ut durissimis legibus opus sit, quibus gliscenti malitiae contraeatur, exundanti licentiae quasi obices oppanantur et effundenti sese improbitati fraena iniiciantur. Atque hoc ita constituto consequitur et illud legum pluralitatem et seueritatem in aliqua republica magno argumento esse prauae educationis hominum, infoelicis indolis et malitiae quotidie increscentis. Cui cum magistratus contrauenire studet, cogitur leges ferre accuratius ac poenas subinde magis ac magis exacerbare. Dicamus igitur, quales oporteat leges esse et quis earum finis.

## CAPUT II

### **Legum et morum discrimen. Leges maxime quidem ualent propter rationem, sed tamen etiam propter authoritatem magistratus**

Ac legum quidem et morum eadem ratio esse uidetur; praecipuntur enim legibus mores boni, contrarii uetantur. Sed legibus adduntur praemia et poenae, ut iis homines retineantur in officio, qui sponte sua boni et aequi parum sint obseruantes. Sunt igitur mores quasi fontes et principia, e quibus leges manare ac deriuari debent. Omnino autem leges ipsae catione aliqua nitantur necesse est. Haec enim quasi anima legum iudicatur, hac homines bene morati et a peccando deterrentur et in officio permanent magis quam uel poenis, uel ullis praemiis. Est autem id munus uel praecipuum legum, ut non tantum poenas proponant peccanti, sed etiam persuadeant peccare minime licere. Quod si quarum legum ratio nulla reddi possit (multarum enim rerum rationes abstrusae sunt, nonnullarum etiam fece nullae) tamen illud efficiendum est, ut ne illae contrariae sint cationi; talesque sola magistratus authoritate ualere debent. Sed quantum res ipsae facultatis concedent, curandum est, ut non solum magistratus authoritas, sed rationis etiam, si non necessariae, saltem probabilis, commendatio, leges tueatur atque ornet. Est enim ratio diuino munere hominibus data, ut sit dux et magistra uibae actionumque omnium; quam qui abiiciunt, ii homines dici non merentur, id enim abiiciunt, quo homo ceteris animantibus praestat. Est quemadmodum radiis solis illustrantur omnia deformiaque a formosis discernuntur, ita ratione consilia humana, dicta et actiones omnes, sintne cum honestate coniunctae an uero cum turpitudine, explorantur.

## CAPUT III

1. Legum cautio sit, ut omnia ad honestatem et communem utilitatem constituentur, ita quidem, ut praemia eadem iisdem uirtutibus, poenae etiam eadem iisdem sceleribus proponantur. 2. Neque uero libertates ullae tanti esse debent, ut eas aliquis ad impunitatem aut poenae inaequalitatem suis uitiis obtendat. Vera enim libertas in affectionibus animi peruersis ac uitiis compescendis consistit, non in licentia vel patrandi quod libeat, uel peccantes leuius puniendi. 3. Si qua diuersitas poenarum pro eodem flagitio retinenda est, ea tamen non ad laxanda fraena maliciae, sed ad contrahenda referenda est. Itaque potentes, nobiles et qui sunt in magistratu magis puniantur, quam imbelles, plebei, priuati, magis item, qui in magistratum peccent, quam qui in homines priuatos.

1. Sit igitur prima legislatoris cura, ut ne quid a ratione, legibus ferendis, discedendum sibi putet utque leges omnes (quod ratio ipsa praecipit) tum ad honestatem referat, tum etiam ad communem utilitatem omnium. Ut enim medicina probatur, quae uel toti medetur corpori, uel si parti medeatur, ita illam sanat, ut non obsit alteri, ita lex est probanda, quae uirtutes eadem iisdem praemiis afficiat, morbis item et uitiis iisdem eandem tum medicinam faciat, tum statuatur poenam. Quis, per Deum immortalem, libenter medicina utatur, qua ab epate feruorem repellat, uentriculo autem frigus inducat? Nemo, opinor. Etenim frigente uentriculo nulla concoctio ciborum futura est, rode aero et epar et reliqua membra laborare necesse fuerit. Qua igitur ratione lex probabitur, quae non eodem modo toti conducat reipublicae; quae eandem uirtutem non iisdem praemiis ornet, nec idem scelus, eodem modo a diuersis commissum, iisdem poenis uindicet, sed aliis nimis indulgens fraena laxet ad peccandum, aliis suprema supplicia constituens potestatem adimat ab iniuria sere defendendi? Loquor enim, exempli causa, de lege, qua in alios saeuissimae, in alios leuissimae poenae propter homicidium sunt constitutae. Sed quod de una lege dictum est, de aliis etiam similibus intelligatur. Factum est in quodam municipio, ut duo homines, alter plebei, alter equestri ordinis, ambo diuites agri et opibus pollentes, multis plagis et uulneribus affecerint hominem non ita diuitem, sed tamen equestri loco natum. Is ad uulnerarium deductus est, uerum quia uulnera quaedam erant lethalia, post unum et alterum mense extinctus. Qui eum uel officii causa inuisebant, uel ad inspicienda uulnera ab iudice accedebant, quaerebant, utrius percussorum factum in maius crimen uocaret? Respondebat eum, qui equestri loco erat, rixae et pugnae initium fecisse, sed in percutiendo utrunque peraeque fuisse acrem, ut prorsus ignotum sibi esset, ab atro uulnera magis noxia acceperit. Tum illi rogando instabant pro uulneribus quidem utrunque percussorum esse puniendum, at si mors ex eis uulneribus sequeretur, alterutrum tantum capitis iudicio arcessendum. Duos enim, ob unum homicidium, legibus nostris plecti prohiberi. Ad haec respondit, qui iacebat uulneribus onustus, se uitam prorsus desperare,

uerum in conscientia sua, quae breui Dei nudicium subitura esset, constituere se non posse, in utrum culpa homicidii conferri debeat, cum ab utriusque uulneribus sibi pereundum sit. Igitur mortuo ex uulneribus eo Nomine, quaenitur illico plebeius percussor, ad iudicem sistitur, accusatur, caput illius ceruicibus abscinditur. Nam lex est, ut plebeius nobilem, qui causam nullam praebuisset se inuadendi, uel occidens, uel mutilans, uel saeuo uulnere saucians capite plectatur. Et haec poena est, quam plebeius percussor pro scelere iam pependit. Ille uero, qui est equestris ordinis, uiuit adhuc et in luce hominum uensatur. Aiunt eum ex possessionibus ad iudicem citandum et ad iuris Polonici formam, aut pro uulneribus, aut pro capite poena pecuniaria mulctandum. Nonne per Deum, immortalem causa haec eiusmodi est, quae duas respublicas desideret, huic duplici hominum generi? Et tam quidem a se remotas, ut ex neutra in alteram ullus accessus fiat, neutra alterius ope indigeat, utriusque incolae nec contrahant inter se, nec se noscant, deinde nec aquam, nec aerem, nec solem habeant communem? Hoc enim, quod apud nos usurpatur, ut confuse utrique homines in una republica uiu.entes eadem de causa alii plectantur, alii indulgentissime habeantur, an non est monstri simile? Non est sperandus in republica, in qua lex eiusmodi dominatur, finis ille, propter quem hominum congregationes fiunt, ut ciues omnes tranquille et beate uiuere possint; in qua ille est dominus uitae et mortis tuae, tu aere mortis meta damna et contumelias omnes ab eo fesse cogaris, in qua illi focus est et ludus te occidisae, tibi aere in fraude capitali ponitur, si illum uel occideris uel uulneraueris. Sed de hoc a nobis et alias copiose dictum est et adhuc idoneo loco disseretur. Hoc tantum hic dicamus illam legum cautionem esse propriam et provisionem, ut a ciuibus conuenienter uirtuti uiuatur utque uindicandis sceleribus nullus personarum respectus habeatur. Habent enim (ut in priore exemplo insistamus) leges se tanquam medicina, in qua adhibenda nemo peritus medicus habet personarum delectum: satis illi est morbi genus, quo aeger afficiatur, cognouisse, inberea dolminus sit, an seruus, nobilis an plebeius, qui curatione eget, non laborat. Ad eundem modum leges se habeant, ut facinora sententium eodem modo puniant utque commodis, quieti et saluti omnium ex aequo consulant. Cuius rei efficiendae uix ratio commodior reperietur, quam si ad regulam illam, qua quod nobis fieri uelimus, id aliis facere iubemur, erunt directae. Haec enim est regina illa, quae quasi de coelo delapsa, naturae impressa est, et a Christo seruatore nostro totidem uerbis exposita ad uitae nostrae et actionum nostrarum emendationem.

2. Nam quod quidam uel benemeritorum suorum uel nescio cuius libertatis rationem haberi uolunt legibus ferendis, utinam recte intelligant, quae loquuntur. Etenim benemerita sunt ea intelligenda, quibus uirtus alicuius illustratur beneficiis conferendis uel in rempublicam, uel in res priuatorum. Talium quidem benemeritorum tantum abest, ut rationem haberi nolimus a legislatore, ut ea maximis praemiis ornari cupiamus. Caeterum, si qui meritorum nomine intelligant caedem iniuste a se factam ac se propterea minus puniri debere, quia sunt nobiles et clari origine, ii nimium abutuntur optima sententia, eam a uirtute ad uitia atque a praeclaris facinoribus ad suam carnificinam transferendo. De libertate autem quod dicunt, omnino uera libertas non in licentia agendi, quod libeat, nec in nimia legum indulgentia in eos, qui capitalia crimina admisissent, consistit, sed cum in caecis ac temerariis animi commotionibus coercedis, inque imperio rationis cuius ex praescripto optime uiuitur et sanctissime, tum in certa uiuendi disciplina, iuris aequa descriptione, causarum parium sine omni personarum respectu pari conditione iudicandique decernendi et exequendi aequabilitate. Ecqui domini acerbiores sunt animi perturbacionibus? Quae in hominibus, in quibus inualuerunt uiresque firmarunt,

et mentem et iudicium frangunt, uincunt et prosternunt. Nullum mancipium est maius quam quod seruit tam importunis dominis, utcunque illud abundet opibus ac honoribus. Ecquae igitur maior libertas cogitari potest quam uacare eorum imperio? Confer mihi cum hac libertate iactatores istos libertatis, qua plerique non secus utuntur quam equi sine fraenis ac capistris in sese ruentes dentibusque et calcibus inferentes et accipientes inuicem uulnera, ut tandem reipublicae nullo usui esse possint. Quid uero istis equis optabilius esset, quam fraenis cohiberi, ne uel sibi, uel aliis malum darent? Quid item sessori commodius, quam lupatis in os tantae belluae iniectis, eam pro suo arbitrata circumagere? Haec quidem non intelliguntur a brutis, ideo nec optantur. Verum hominibus qui ratione praediti sunt, nihil dulcius, nihil iucundius esse debent quam fraenis legum suas coercere cupiditates in gyrumque recte gubernantium suas actiones conuertere. Vincula haec fortasse uideri possint, sed talia omnino, quae nos a temeritate, petulantia, crudelitate et reliquis uitiiis coerceant, asserant autem in prudentiam, modestiam, humanitatem et uirtutum omnium munera. Nemo Deum existimet libertatis esse expertem, propterea quod, peccare non possit; ita nemo se ideo minus liberum putet, si ei legibus ac poenarum seueritate adimatur licentia peccandi. Foedissima enim est illa et generi humano perniciosissima libertas, cum quis fraena permittat illegitimis cupiditatibus, rebus alienis insidietur, fraudet, abiuret, rapiat, multa licenter et in capita et in fortunas imbecillium hominum agat, atque his et similibus patratu iactet genus et possessiones suas, quarum obtentu uel indulgentissime puniatur, uel omnem poenam effugiat:

Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.

Quod si quid in eum ab aliis commissum sit, id quidem seuerissime uindicandum optet. Quis igitur non uidet libertatem istam cum summa hominum imbecillium seruitute esse coniunctam? Atque et seruitus et libertas immoderata odiosa est, moderatum uero utrunque et ad diuturnitatem ualidum est, et ad hominum existimationem praeclarum. Tradunt rerum scriptores, ut Persarum imperium nimia seruitute, ita Atheniensium immodica libertate interiisse. Apud nos plebs seruitute supra modum constringitur, equites nimis magna libertate lasciuiunt. Quid igitur boni sperandum de hac rerum contrariarum extrema quadam usurpatione? Expendat secum, quisquis uult, mores istorum, in quorum animis priuilegia et libertatis tituli uires sumpserunt. Multi odio quodam hominum, alii naturali mentis feritate, nonnulli natura quidem boni et moderati, sed malorum consuetudine tanquam so contagione infecti committunt nefanda multa in homines inferiorum ordinum, eorum uirtuti palam incidendo, optime ab illis facta per calumniam summamque malitiam deformando. Quid de illis dicam, qui libidine homicidia perpetrant? Ab ea scilicet lege instigati, quae et iniurias et caedes leuissime puniendo superiores faciat diuites pauperibus, equites plebeiis hoc est homines canibus, quemadmodum permulti libertatis istius uindices et sentiunt et loquuntur. Quot igitur equites sunt, tot reges plebeiorum, imo quot potentiores, tot imbecilliorum reges. Nullus enim regum, imo nullus tyrannorum maiorem potestatem habere potest atque uitae et necis alicuius, quam potestatem legibus nostris implicite datam esse potentioribus, alio loco copiosius ostendimus. Nihil igitur perniciosius est reipublicae quam legum poenarumque diuersitas, pro peccantium diuersitate. Una enim atque eadem uoce lex omnibus loqui debet, uno atque eodem imperio omnibus praeesse, tum iubendo, tum uetando, una et eadem ratione de commoditatibus deque molestiis ac iniuriis omnium sancire ac consulere. Huiusmodi legibus qui seruiunt, uere liberi putandi sunt, quemadmodum ille, ut diu liber esse posset, legum seruum se esse optabat. Illa uero libertas, quae cum libidine agendi omnia, quae uelis, coniuncta sit, uix in ulla



barbaria locum habet; tantum abest, ut digna sint republica optime constituta. Pleraeque leges ita sunt compositae, ut utilitatibus potentum seruiant, imbelles seruitute premant, hos comprehendant et irretiant, ab illis tanquam telae aranearum perrumpantur. Ut enim omniam legem homicidariam, quorsum prorogationes illae, nulla legitima causa, dierum ad iudicem iam dictorum? Quorsum illa de non comprehendendis hominibus, quantumuis facinorosis, quia possessores sint fundorum multorum? Quasi nero cum talibus agatur de possessionibus bonorum, non de facinoribus, quae commisissent. Haec et similia, quae aliis locis a nobis dicuntur, an legum nomine digna sint, iudicent sapientes.

3. Quod si iisdem legibus respublice gubernanda est, iisdem etiam poenis delinquentes puniendi. Nihil enim minus legibus conuenit, quam illud discrimen poenarum, ob idem crimen ab aliis et aliis perpetratum, cum quidem, si res ad uiuum resecetur, grauius puniendi essent, qui in altiore dignitatis gradu constituti peccant, quam qui in inferiore. Plato iubet ciuem suum seuerius ob fortum mulctari, quam seruum aut peregrinum, propterea quod ille in optima republica institutus tantum scelus admiserit, isti fortasse parum bene ad uirtutem eruditi, procliuiores sint ad peccandum. Quanto magis, qui ita nati, educati, animo et corpore facti uideri uolunt, ut aliis re omni praestent, magis puniendi sunt peccantes, quam qui inopia laborent rerum omnium et animi et corporis et fortunae?

Quod contra fit ab istis nostris, qui ideo minus in se animaduertendum putent ob scelus quodlibet, quia sint nobiles. Quasi uero, sua nobilitas concreta esset ex peccandi licentia, importunitate et impunitate scelerum. Atqui hoc non ueram nobilitatem fuerit ostentare, sed labem quadam, maculam et pestem ciuitatis, ad quam a nostris finibus propellendam omnibus uere, nobilibus, quantum in unoquoque uirium sit et facultatum, opera danda esset. Igitur si qua poenarum diuersitas statuenda sit, grauius puniantur, qui altiore dignitatis gradum tenent, quam qui inferiorem; seuerius diuites quam pauperes, nobiles quam plebei, qui in magistratu sunt, quam priuati. Illi enim maioribus et animi et fortunae dotibus praediti, plures causas habent a peccando retrahentes; itaque crimen eorum grauius est. Quod etsi satis est ad poenam acriorem constituendam, tamen illa quoque accedit causa, quod quo quisque maior est, qui peccat, hoc et crimen eius conspectius est et plures imitatores habere solet. Hominum homilium, quia uita obscura est, crimina etiam obscuriora sunt, nec adeo proposita aliis ad imitandum. Sic igitur hunc locum concludi posse existimem, ut omnibus in eadem republica manentibus, eorundem criminum reus, eadem poenae constituentur. Si qua diuersitas ob crimen idem statuenda est, ea certe non ad potentum licentiam amplificandam, sed ad iniurias a tenuibus propulsandas referenda est. Cum enim officium legum sit iniuriis obuiam ire, non aliter certe id consequentur, quam si pauperum uiolatores acrius puniantur, quam diuitum. Neque enim potentes sunt adeo opportuni iniuriis atque humiles, itaque etiam, quae his inferuntur, seuerius uindicandae sunt, quam quae illis. Illa uero diuersitas, cum plebeiorum interfectores decem marcis numerum, nobilium uel centum marcis, uel morte mulctantur, a tyrannide excogitata est, non a prudente legislatore. Itaque ex optima republica eiicienda est et ex omni memoria hominum exterminanda. Video et illam dissimilitudinem multis probari, cum in alios, quorum licentia non facile coerceretur, saeuiores poenae constituuntur, in alios mitiores, qui leui momento in officio possint contineri. Equidem tales diuersitates tam moribus quam legibus populorum comprobantur. Res etiam ipsa testatur homines a fortuna euectos et in aliquo dignitatis gradu locatos magis moueri, si quid de sua existimatione detractum iri existiment, quam infimos et sordidos, qui nisi mortem uel carcerem, uel aliud graue malum

impendere sibi scirent, in omne genus sceleris ruerent. Caeterum illam uarietatem, quam summa licentia consequuta est, qua multi feruntur ad peccandum praecipites, qualem nimirum in lege homicidiaria comprehendi constat, quis sanus non improbet? Quis sanus item non probet, si quod fortuna hominibus detraxit, id leges sarciant uiolatique pauperis iniuriam grauius uindicent quam diuitis, magistratum delinquentem magis puniant quam priuatum, nobilem flagitiosum quam plebeium? Placet et illud, ut qui in magistratum peccet, maiore supplicio afficiatur, quam qui in priuatum.

### **CAPUT III.**

#### **Cautiones aliae legum.**

His causis diuersitatis poenarum exceptis nescio an sit alia admittenda. Debent autem leges quemque in officio continere; facultatem nocendi praecidere; audaciam improborum coercere; innocentiam cuiusque tutam omni ex parte reddere; quieti et dignitati bonorum uirorum maxime consulere; lites, discordias et controuersias, quoad eius fieri possit, tollere; statum reipublicae tranquillum stabilire ac tueri.

## **CAPUT V**

### **Varietas et distinctio legum.**

Sequitur, ut deinceps de legum uarietate disseramus. Neque est, quod aliquis expectet a me, tanquam legislatore, legum exactam descriptionem; non est hoc facultatis meae, et indiget temporis ac diligentiae maioris. Satis mihi functus uidebor officio, si quasi indices legum quarundam proposuero aut etiam leges nonnullas attigero. Optandum autem esset, ut qui ingenio, doctrina et experientia ualent, ad rem tantam animum adiicerent, qua quidem optimus reipublicae status maxime continetur. Leges igitur aliae ex natura ortae sunt, aliae moribus ac populorum institutis comprobatae, quaedam etiam diuinae. De diuinis nunc loqui omittamus. Quae ex natura ortae sunt, eae a philosophis diligenter sunt explicatae, qui de uirtutibus et officiis scripserunt. Ad has uero utrasque leges et naturae et diuinas, instituta populorum si probanda sint, accedere oportet. Quo enim longius ab eis discrepabunt tanquam a suis fontibus, hoc minus nomine legum digna putabuntur.

## **CAPUT VI.**

### **Leges de magistratibus.**

1. Primum igitur leges sanciantur de magistratibus mandandis, quibus et quarum rerum ergo mandandi sunt. Virtutis et doctrinae rationem in primis haberi oportet et ad quas quisque res aptus est. Qui peritiam habent rei militaris, palatinorum munere honestentur, sunt enim illi moribus nostris duces in bello, sui quisque municipii. Qui iuris dicendi facultate praediti sunt, sint iudices. In municipiorum et arcium praefectos eligantur, qui paci domesticae iusticiaeque inter homines conseruandae operam nauare possint. Qui ualent sententia dicenda, in senatum cooptentur. Omnino mores eius, qui deligendus sit, inspici oportet, an priuatus sciebat parere, an iudicatum faciebat, an obseruabat magistratum. („Qui his uirtutibus destituitur, non est spes, ut bene imperare possit. Qui enim bene imperaturus est, is bene aliquando paruerit necesse est.

2. Qui uel per se, uel per alios petunt, a magistratu excludantur; non enim reipublicae sed sua causa ambire uidentur. Optime Hadrianus imperator petenti uiro praetorio, ut sibi de iure liceret respondere, rescripsit hoc non peti, sed concedi solere, significans multa esse quae honeste concedantur non tamen honeste petantur. Nam illud de uno dictum, de aliis intelligendum est.

3. Quod si improbe ambientibus magistratus negandi, quanto magis eumentibus? Neque enim fieri potest, ut qui negotiatione aliquid consequuti sint, non uelint in eo facere quaestum, Sunt, qui principi nihil numerent, sed tamen numerant petitoribus magistratus adipiscendi causa. Sed hi quoque eodem in uitio esse putandi sunt. Fere enim in quo quis fecit damnum, in eo quaerit lucrum. Omnino autem honorum contentio omnis legibus coercenda est. Videmus enim, quam instar saeui tyranni uexet et torqueat eum, in cuius animo inualuit, quam eum impellat ad agenda et patienda multa inepta, sordida, seruilia, ut ad id aliquando, quod cupit, perueniat. Pulcherrimum certamen inter ciues fuerit de uirtute ac industria, ut qui genere clari sint, omni studio contendant, ne ab infimis luce uirtutis et honestarum actionum obscurentur, qui uero nullo maiorum splendore commendentur, uirtute propria connitantur se illustres reddere de omnibusque mereri studeant tum priuatim, tum publice. Ergo ambitio legibus prohibenda est et uirtuti perspectae, industriae factisque praeclaris honores deferendi, qua de re plura a nobis primo libro dieta sunt.

4. Necessarium est et illud, ut nemo in magistratum alicuius municipii eligatur, nisi qui illic habeat fixum domicilium et possessiones bene fundatas, ne si alibi manendum sit ei, alibi officio satisfaciendum, negligentior sit in suo munere. Hoc non tantum de magistratibus ius dicentibus, sed omnibus praefectis, qui imperandi habeant potestatem, intelligendum est. Apud nos multi regis benignitate aucti sunt beneficiis summis, in iis quidem municipiis, qu-

orum ciues non sunt. Hi etsi tolerandi sunt in suo munere, tamen praefectos habere deberent ciues illorum municipiorum, quorum sunt beneficiarii. (Quos enim ex remotioribus municipiis accersunt, solent esse nimium rapaces, utpote qui non inter suos imperent, sed et de mi-grando in swa cogitent, nec quicquam pensi habeant, quam de se existimationem relinquunt apud eos, quos nulla necessitudine deuinctos teneant. Quod cum aliae prouinciae, tum ea Prussia, quam dux Prussiae nunc gubernat, olim experta est, cum illic societas Marianorum rerum potiretur. Mittebantur enim ex media Germania comites imperii, qui inter homines non suos durissimum imperium exercebant. Fraus est legis, si quis iugera aliquot agri uel posses-siunculam aliquam emat in municipio aliquo, magistratus illic adipiscendi causa. Itaque cu-randum est, ut nemo in magistratu municipii sit, nisi qui magnam possessionum partem illic habeat atque ibi frequentius maneat, nec a municipio suo diu abesse possit; nisi forte aliquod municipium praefectum idoneum ob inopiam ciuem suum habere nequit, ut aliunde sit accer-sendus. Verumtamen non est improbandus mos Hispanicus, quem certis in municipiis patriae suae seruari narrauit Petrus Roysius Maureus, uir clarissimus et ob singularem doctrinam ac iuris prudentiam inter eos, qui causas iudicarias cognoscunt, a rege relatus. Mos, inquam, ille, ut nemo in eo municipio iudicet, ex quo ortus est. Cum enim sanguinis communitio, ne-cessitudines, amicitiae, inimicitiae uel inter uiuos contractae, uel a maioribus quasi per ma-nus acceptae multorum hominum mentes a recto aberrare faciant, citius iudex inter eos ius recte dicet, inter quos amicitias uel inimicitias habeat nullas. Itaque non immerito oratores tetrarchiae Mazouiae nobilissimae quodam in conuentu postularunt, ut suarum causarum cog-nitio non indigenis ac domesticis permetteretur, sed extranei iudices et alienigenae eos iudi-carent. Hic mos si reciperetur, tempus quoque, quamdiu aliquis iudicis officio fungi deberet, praescribendum esset, ut officio defunctus ad sua redire posset. Illud quoque legibus Roma-nis cauetur, ut eiusmodi iudices post depositam adinistrationem quinquaginta dies reside-ant, ut interea fiat legitima cognitio, num quem iniuste condemnarunt ac pro modo delicti puniantur; ablata etiam nequiter in quadruplum per eos restituantur, ut duplum spoliatus acci-piat, duplum thesauro reipublicae addicatur.

5. Sufficit uni unus magistratus aut si plures certe non discrepantes. Quomodo enim aliquis unus potest esse praefectus plurium municipiorum, cum duobus in locis simul esse non possit? Interest autem uniuscuiusque prouinciae, ut suum semper sibi habeat praefectum.

6. Sed ante omnia regis electio praescribatur, quis eligendus, a quibus, quibus rationibus. In lege diuina sic scriptum est: „Si statueritis uobis creare regem, more aliarum uobis finitimarum gentium eum creatote, quem Deus uobis elegerit, uidelicet de uestra consanguinitate; neque uobis licebit hominem uobis praeficere extraneum et alienigenam.” In his uerbis considerare licet, Deum, qui aliorum magistratuum electionem populo commiserit, sibi soli regis electionem reseruasse. Facile enim migrat regia potestas in tyrannidem, nisi uiro perfectae uirtutis committatur. Itaque Deus populum illum prius a ducibus et iudicibus gubernari uoluit. Post uero regem illis improbe petentibus non sine indignatione concessit inquiring ad Sa-muelem, eorum causam agentem: „Obtempera populo postulanti: non enim te, sed me abiiciunt, ne sint sub regno meo.” Etsi enim regia potestas maxime in terris diuinam potestatem repraesentat, tamen quia illa plena et suprema est, facile ob impunitatem ad insolentiam imperii delabi solet. Itaque improbitate petitorum extortam a se significare uidetur Deus, potius quam iusta ratione impetratam. Praecipit etiam, ut ea ad neminem nisi se consulto deferretur. Simul addidit, ne alicui alienigenae mandaretur, quod eiusmodi homines non eo modo erga

nationes alias solent esse affecti, quo in suas. Itaque prudenter apud Gallos et quaisdam nationes alias aliquot familiae uetustissimae selectae sunt, ad quas regius honor stirpe regia deficiente deferretur. Sic enim et extraneis praeripitur ansa ambiendi imperia nationum diuersarum, et domesticis metae quaedam constituuntur, intra quas se contineant regibus eligendis. Non iocommodum autem fuerit, eas in eligendo rationes usurpare, quae a nobis in episcoporum electionibus praescribuntur. Iam ut causas tyrannidis Deus praecideret, facultates regum non uult esse immoderatas, sic inquit: Rex ne multos equos, ne multas uxores neue argenti aurique multum habeto. Cumque sine ope diuina singulari nemo hac potestate recte fungi possit, iubet, ut rex semper legem Dei ob oculos habeat, de ea noctes diesque cogitans, ut ne contra suas populos animo insolescat neue de disciplina ad dexteram aut sinistram deflectat. Igitur de ratione eligendi regis legibus praescribatur et quod eius officium, de uxore item eius, et de dote, quibus in fundis sit collocanda et de filiorum eius educatione diligenter praecipendum, qui scilicet patris haereditatem olim cernere uelint. Vae terrae, ut ait diuinus uates, cuius rex puer est. Nihil autem refert, aetate sit puer an moribus. Ergo legibus sanciantur de regum filiis educandis: et nutrices, et magistri, et studiorum socii, et collusores, publico senatus consilio eis addantur; hominum lasciuorum, scurrarum, ebriosorum, adulatorum torba procul ab eis pellatur, ne tanquam fontem publicum (ut inquit ille), unde omnes bibere cogantur, inficiant ueneno suo principis tenerum animum, unde tandem infinita inum multitudo inficiatur.

7. Describantur etiam legibus officia singulorum magistratuum, quid illis agendum, quatenus, quomodo. Et actio gesti magistratus quotannis publice illis intendenda et poenae seuerissimae, si quid in officio deliquissent, constituendae. Et hic legem pecuniarum repetundarum comprehendo. Et haec quidem de iis, qua sint cum potestate.

## **CAPUT VII.**

### **Leges de personarum priuatarum discrimine**

Post haec de priuatis personis agendum ac earum uarietate: quae sui, quae alieni sint iuris, quod sit ius eiusmodi et quomodo uel acquiratur, uel soluatur. Et hic de potestate patria et herili, quam pater in filium habeat, uel dominus tum in seruum, tum in colonum, tum in quemuis hominem sibi subiectum, de ea item, quam maritus in uxorem. Itaque et de nuptiis leges ponendae et de diuortiiis, et de manumissionibus, et de patria potestate soluenda. Post haec de pupillis atque adeo tutoribus et curatoribus. Ad haec etiam de discrimine plebeiorum et nobilium idque tum eorum, quibus et nobilitas natiua, tum quibus donata. Qui uirtute clari sunt ac magnis in rempublicam meritis illustres, ii quamuis ignobilibus orti sint parentibus, pro nobilibus habendi sunt. Res enim ipsa uel hominibus inuitis nobilitat eos. Contra rerum uero naturam pugnare hominum est stolidorum et malorum, de quo alias nobis latius disseretur. Confusio illa nobilium cum militibus nescio an sit improbanda. Profecto milites non nascuntur, etiam si nobiles nascantur. Et quemadmodum aliud est esse in iuris doctis, aliud in filiis doctorum, ita aliud est esse militem, quam filium militis. Militaris honor partim meritis acquiritur in rempublicam, partim certis ceremoniis, quorum uerba solemnia memorantur: *Lepszy rycearz niź panosza*, quibus significatur potiore conditionem esse militis quam ingenui. Tales honores a regibus conceduntur etiam iis, qui nobiles nati sint; non est igitur idem nasci nobilem et esse militaris ordinis. Multa legibus conceduntur militi, quae negantur aliis hominibus. Itaque discrimen constituendum est militum et nobilium, nec uulgo nobilium titulus militis tribuendus, quem nunquam meriti sint.



## **CAPUT VIII**

### **Leges de dominio et de rerum discrimine**

Sequitur iam tractatio illa de dominio ac de rerum discrimine. Varii autem recensentur modi domini acquirendi, partim gentium, partim civili iure introducti et recepti, deinde alii, quibus bonorum universitas, alii quibus res singulae acquiruntur. In prioribus numeratur aditio hereditatis seu testamento, seu ab intestato nobis relictae; ex posterioribus sunt usucapio, praescriptio, legatum et fideicommissum. Hic etiam et de directo et de utili dominio agitur; illud habent domini fundi, seu feudi, hoc clientes et vasalli, item de quasi dominio et de iure in re, quae affinia domini censentur. Haec et alia huc pertinentia copiosissime a iurisperitis pertractantur.

## **CAPUT IX.**

### **Leges de contractibus et obligationibus**

Postea sequantur leges de contractibus, ex quibus obligationes nascuntur, quae quidem pars latissime patet. Vix est enim aliqua hominum inter ipsos actio, quae non emptione, uenditione, permutatione, donatione, conductione, locatione, stipulatione, fideiussione, mutuo, comodato, deposito, pignore et id genus aliis contineatur.

## CAPUT X.

**Leges de iniuriis, quae uerbis fiunt aut re. 1. Curandum, ut humiles homines sint quam minime opportuni iniuriis; utque cuilibet potestas sit accusandi eos, qui iniuria aliquem affecissent. 2. Leges scribendae in conuiciatores et percussores. 3. item in uiolentos, in adulteros, in fures. 4. item in homicidas. 5. item in reos maiestatis. 6. item in foeneratores ambitiosos.**

Iam de iniuriis constituendum est, de iis, quae tum uerbis, tum re fiunt; omnes quidem pro natura uel peccati, uel peccantium, damnis, ignominis, uinculis, uerberibus, exiliis, seruitute aut morte uindicandae sunt.

1. Ac illud diligenter curandum, ut homines humiliores sint quam minime iniuriis opportuni. Multi et nobilium et diuitem praecipites feruntur ad iniurias plebeiis inopibusque inferendas; illi si pecunia multentur, nihilo fiunt meliores, ideo uel carcere dierum plurium coercendi sunt, uel allcuius ignominiae nota afficiendi. Nemo existimet ullum, quantumuis tenuem hominem, talem esse, ut iniuriam inultam impunitamque non iniquissimo animo ferat. Quod etsi in praesens necessitate celare cogatur, tamen uerendum, ne odium inueteratum temporibus ad perniciem reipublicae erumpat, praesertim cum omnis haec natio tenuium contemptu sui ac impunitate uideat se iniuriis expositam esse.

Quocirca consulendum est, ne impunitate iniuriarum odium et furor tenuium alatur et inueterascat atque etiam, ut quo quisque ditior ac maior dignitate existit, hoc acerbioribus aut certe iustis et debitis poenis ab iniuriis deterreatur. Solon Salaminius rogatus, quam ratione effici posset, ut quamminimam iniuriarum inter homines existeret: „Si”, inquit, „qui iniuriam passi non sunt, perinde doleant atque hi, qui passi sunt.” Salubre prorsus responsum et prudente legislatore dignum. Cum enim natura ita comparatum sit, ut nemo hominum in solitudine uiuere possit, ne si copiis quidem rerum omnium afflueret, fit ut in societate hac ciuili communicationeque sermonum, consiliorum ac operum, tanquam membra in corpore uno reipublicae omnes libentissime acquiescamus. Quis igitur non existimet, cum membrum corporis huius laesum fuerit, se quoque laesum iri? Quis uiolato uno ciue non uidet leges uiolatas esse, quae toti seruiant reipublicae? Sic igitur Solon homines ab iniuriis arcendos putabat, ut

omnibus faceret, quibus uoluntas et facultas foret, potestatem reum accusandi et iniuriam iudicio persequendi. Assuefaciebat nimirum omnes in eadem republica manentes rebus quidem bonis ciuis sui laetari, malis autem angere et laborare. At nunc dum aliquo uiolato omnes animo sunt ocioso, nonnulli etiam aliena calamitate gaudent, impunitas nimia multos reddit deteriores et ad inlurias audaciores. Omnium autem maxime decet nos, qui coelesti doctrina imbuti sumus, praeceptum magistri nostri mente uolutare, quo iubemur, ut ne faciamus aliis quod (nobis fieri nolumus. Tales nos igitur aduersus alios praestemus, quales illos erga nos fieri uelimus. Si iniuriam ab alio ferre molestum tibi est et qui fecit scelestus tibi uidetur, idem de te quoque ludices, te, si forte in alium iniuriosus esse pergas, et sceleratum esse et dignum, qui poenam sceleris soluas. Hoc praeceptum si altius insederit animis nostris, ab iniuriis nos detertere poterit.

2. Conuicia, quibus ordo aliquis totus proscindatur, grauiora sunt, quam quae fiunt homini priuato; quae si literis consignentur, instar famosi libelli habenda sunt, ut eorum, qui nuper stylo non tam atramento quam ueneno tincto publice scripserunt plebeium sanguinem nunquam amicis esse nobilitati. Et hoc igitur legibus prohibeatur et de aliis conuiciorum generibus, de maledictis, pulsationibus, mutilationibus et omni turpitudine, qua uita cuiusquam uiolatur, leges scribantur.

3. Omnis uis iniusta seu rebus seu personis illata, nescio an alia poena iustius atque capitali uindicetur. Adulteria, furta, periuria, talia sunt crimina, iquae nemo non putet acerrimis poenis esse uindicanda. Sed tamen furtorum poena usitata moderanda quidetur, ne minimarum etiam rerum fures uita priuentur. Lege quidem Romanorum ueteri fures manifesti quadruplo, non manifesti duplo, diuina uero pro rerum furto ablatarum uarietate alii quintuplo, alii quadruplo, alii duplo puniebantur. Qui soluendo non erant, uel seruitiis eius, cui res sustulissent, addicebantur, uel iis uendebantur, qui ex huiusmodi mercibus facerent quaestum. At diceres rem hanc crudelitatis plenam fuisse hominibus uendendis mercaturam exercere. Verum quidem, sed et hoc nihilo est mitius uitam homini pro rebus fortuitis eripere. Atqui lege diuina diserte edicatur: Si fur non habet unde reddat, ipse uenumdetur. His enim modis damnum resarciebatur seu dupli restitutione, seu addictione, aut uenditione furis. Hodie nec ad eum, cui res ablata est, quicquam redit et fures sunt nihilo rariores. Interea et respublica commodis priuatur, quae ex damnatis prouenire possent uel in bellis, uel in laboribus domesticis et ipsi fures nihilo meliores in furcam mox tolluntur, forte emendatiores futuri, si uita eis qualiscunque proferretur. Nunc quidem uniuersa Christianorum respublica fures suspendio punit, quam poenam a Friderico Tertio, imperatore Romano, primum excogitatam accepimus, eandem a maioribus nostris in hac Republica usurpatam. Mirum uero, qui emolumento illo uel ex solutione, uel ex furis addictione neglecto in capitale poenam consenserunt, eosdem poena eadem in homicidis reiecta, ad quaestum ex caedibus amicorum faciendum, animum inducere potuisse. Quasi plures faciendas putauerint res fortuitas uitae hominum plusque eis perditum fuerit rerum ablatione, quam amicorum interfectione.

4. Nos uero poenam capitale homicidio conuenientissimam esse eandemque cum diuinis, humanis et naturae legibus maxime congruere Orationibus editis quatuor demonstraui et etiam in illis ostendimus poenarum uarietatem pro causis uariis homicidiorum. Qui hominem occidit, aut id fecit consulto et cogitato, ut qui hoc scelus meditatum quasi domo extulit atque ob id uel uiam eius, quem occidere constituit, impediuit, uel occasiones captauit omnes occidendi; aut non consulto, sed repentino aliquo motu, ut accidit in rixis et colloquiis mutuis,

inter eos natis, quorum neuter alterum prius odisset. Tertium genus est, quod committitur ab aliquo defendendi sui causa, ut cum quis ab insequente in eas loci angustias adducatur, unde incolumis euadere non possit, nisi occiso persecutore; huiusmodi homicidium necessarium esse uidetur. Quartum genus homicidi est fortuitum, quod repentino aliquo casu et quasi temere accidit praeter uoluntatem omnem et cogitationem eius, a quo patratum est. Primum homicidium uocemus deliberatum et cogitatum, alterum repentinum, tertium necessarium, quartum imprudens et fortuitum. Priora duo capitalia sunt, posteriora minime; nullum uero horum pecunia uindicatum est. De quo, quoniam testimonia multa in Orationibus copiose exposuimus, ideo satis sit in praesentia quaedam attigisse ex oraculis diuinis, quae sic ad uerbum habent. Num. 35. „Ne ab eo, qui reus est sanguinis, precium accipitote, sed statim morte plectitor”. Genesis 9. „Qui hominis sanguinem effuderit, ipsius quoque sanguis funditor.” Quod a Christo sic dictum est: „Omnes qui gladio utuntur, gladio peribunt.” Matthaei 26. Exodi 21. „Qui hominem ita percusserit ut moriatur, capite plectitor. Ei autem, qui non tetendit insidias, sed Deus illum destinauit in manus eius, statuam locum in quem confugiat.” Et hoc quidem homicidium fortuito et sine consilio patratum fusius describitur Deut. 19. his uerbis: “Qui proximum per imprudentiam percusserit, quem antea non oderit, ut si qui in syluam lignatum profectus manum ad succidendum arborem admouerit ferrumque e capulo elapsum in proximum inciderit atque eum feriens necauerit, is ad aliquod oppidorum ad id delectorum confugito et uitae suae consulito, ne forte uindex sanguinis dum feruet animo insequens homicidam, si uia sit longior, eum comprehendat et uita priuet; qui tamen mortem non commeruerit, eo quod non est odio prosequutus hominem qui occisus est. Proinde certa oppida per fugii deliguntur et separantur.” De eo porro, qui aliquem defendendi sui causa occidat, non est explicite (quod sciam) in Bibliis sacris: sed lex est naturae inscripta et in Laeio copiose exposita. „Vim ui repelli licere. Qui uero (pergit summus legislator edicere, Exodi 21.) de industria occiderit proximum suum, is uel ab ara mea ad necem auellitor.” Ergo seu quis telo ligneo ferreoue, seu saxo manuario, seu manu proximum hostiliter pulsauerit, ita ut ille moriatur, pulsator homicida esto, morte plectitor; nullus ei portus nullumque perfugium esto in iis urbibus, quae asyli iure iis tantum concessae sunt, qui proximum imprudenter trucidassent. Haec enim in libris Numerorum luculenter descripta sunt capite 35. Quod caput Deus conclusit fere his uerbis: „Ne precium recipitote, nec ob uitam ab homicida, qui crimen capitale admisisset, nec ob domum reditionem, ante mortem summi pontificis, ab eo qui in asyli sui oppidum confugisset. Ne terram pollutote, quam incolitis. Sanguinis enim effusione maculatur terra, nec potest a sanguine in ea fuso expiari, nisi per sanguinem eius, qui fudit. Ne ergo contaminatote terram, in qua habitatis, in cuius medio et ego habito. Ego enim Dominus, qui habito in medio uestrum, o filii Israelis.” Usque eo autem id, quod dixit sanguine sanguinem expiandum, ratum et firmum esse uoluit Deus, ut etiam si caedis patratore ignoraretur, uitulae occisionem ciuitati, quae proxima esset loco, ubi cadauer repertum esset, ad Deum propitiandum imperauerit. Multa alia testimonia sunt in scripturis de poenis homicidarum. Ac omnium quidem poenarum ratio debet esse illa, ut improborum audaciam ac nocendi facultatem reprimant et a peccando deterreant. Cum igitur parum grande parumque vitandum scelus putetur, quod redimi pecunia possit, certe lex homicidium pecunia redimi iubens, non lex, sed Reipublicae labes ac naturae humanae perniciēs putanda est. Quis enim fando satis exprimere queat, quot calamitates eam consequutae sunt? Quae haeresim tristissimam in hanc Reipublicam inuexerit; quae rabiem improborum semper armauerit; quae qu-

ietos et innocentes periculis exposuerit; quae uulgi nobilium audaciam confirmauerit; quae seruitutem acerbissimam plebi imposuerit; quae seminarium perfidiae, discordiae, seditionis, belli intestini in se semper continuerit. L. Neracius (ut narrat Marius Salamonius, iurisperitus nobilis) cum ferre non posset lege XII tabularum iniurias XXV aeris poena uindicari seruum cum sacco assium sequi se iussit, ipse obuios caedebat et mox singulis singulos XXV asses pendere iubebat. Inde admoniti, praetores de aestimandis iniuriis edicta posuerunt. Imitantur permulti locupletes nostrates Neracium infamanda lege Polonica, qui quot centena marcarum numerare possint, tot uiros nobiles, quot dena, tot plebeios interficere ausint nec quicquam plerisque usitatius est, quam ut de caede eius, quem odio persequantur, consilia ineant. Et tamen nulli ad hunc diem praetores, nulli tribuni, nulli senatores apud nos uisi sunt, qui serio ad mulctam homicidio dignam animum adicerent. Profecto pecuniosus homo nullam pertimescit culpam, quam numis redimere possit. Odium uero exaturare suum an non dulcius est improbo homini, quam magnam pecuniae uim perdere? Sed rhetorissant quidam poenae Polonicae seueritatem exaggerando, si quidem in carcerem annum homicidae conicerentur. Putasne tu Deum poenas ulli sceleri irrogare uoluisse aequiores atque homicidio? Non tantum hominis innocentis caedem capite sanxit, sed et nocentissimi, idque usque eo, ut de Caimo fraticida summa animi anxietate presso omniaque ob caedem a se commissam metuenti ita edixerit: „Si quis Caimum occiderit, septuplo punitur.” Quae uero haec est poena septupli? An aliqua alia quam capitalis? Atqui lex illa aeterna est humano generi diuinitus data caput capite uindicans. Quae igitur est haec poena nisi capitalis septemplex? Ut si Caimi interfector septies interfici posset, septies interficeretur. Quod si grauior excogitari posset poena, quam sit capitalis, utpote numi Polonici cum carcere annuo coniuncti, certe Deus eam proposuisset. Sed ita res est: praesentis mortis cogitatio, animos quantumuis feroces a facinoribus abstrahit, mortis securitas cum spe elabendi ex poenis aliis seu carcerum, seu nummorum, malos animos irritat ad maleficia. Quot homines interfecti sunt memoria nostra domi et foris, in urbe et in agro, in profanis et sacris locis? Quis autem, quaeso te, erat homicidarum, qui non euolarit ex uinculis istius anni? Sed fac in tot centenis fuisse aliquem unum, qui sordes anni carceris pertulisset, quo tandem mortis genere ille periit? Num istius poenae Polonicae iusta exolutione, liber fuit a poena homicidis diuinitus constituta? Ita quidem uidentur, siquidem carceres isti grauiores sunt capitali. Quod si et ipse interfectus, an non quasi coelesti signo orbi Sarmatico declaratur carceres istos minime pares esse delicto homicidae? An igitur non aequius erat magistratum de isto (quem in tot centenis diximus unum) poenam sumere legi diuinae congruentem, quam ut ueniret in manum interfectoris, quem et ipsum similia manere fata Deus ipse edixit? Ne simus igitur prudentiores Deo illo, qui qua prudentia res condidit, eadem illas uult conseruatas. Age nunc, sit iste carcer annuus grauior poena capitali, caede hominis nobilis uindicanda, quid autem caede plebei fiet? Haec enim tantum pecunia uindicatur et quidem longe minore quam caedes nobilis, ut etiam si qua appareat aequitas in caede huius, in illius maxima est iniquitas. Ita et numerorum imparitate et carceris omissione diuersitas est summa caedibus hominum aestimandis. Deus quidem ipse poena capitali homicidis asscribenda simul addidit causam, inquiens: „Quoniam ad Dei imaginem factus homo est, ideo qui hominis sanguinem effuderit, eius quoque sanguinem effundi necesse est.” Quid igitur? An homines plebei non ad Dei imaginem conditi sunt, quorum caedes minoris penduntur? Satis sit plebeiis, quamuis uirtute et bonis artibus praestantibus, omnem potestatem summorum reipublicae honorum ademptam esse hancque quasi capitis

diminutionem quandam eos pati, ne addatur eis excrema haec et omnium acerbissima calamitas, ut eorum caedes tantula mercede redimantur. Profecto Respublica solis nobilibus florere non potest. Quis enim suppeditabit alimenta et nobis et multis pecoribus, si nulli agricolae erunt? Quis amictum et ornatum, si nulli opifices? Quis res necessarias importabit, si nulli mercatores? Quis denique erit nobilis, si nulli plebei erunt? Quae igitur, malum, crudelitas est, ut, quorum opera carere nullo modo possumus, eorum uitas tantuli faciamus? Sed supra etiam improbauimus poenarum pro eodem scelere a diuersis perpetrato diuersitatem. Non minus et illud improbandum, homicidam quidem interuallo horarum XXIII a patrato homicidio comprehensum morte mulctari debere, lapso illo interuallo non debere. Quid enim? Magis tum sumenda supplicia sunt de facinorosis, cum animus est recenti miuria incitatus, quam cum est sedatus? Plato quidem et cum eo maximi philosophorum id iuste fieri posse pernegant, itaque ne hero quidem stomachanti in seruum delinquentem animaduertendum putant. Quid quod Theodosius imperator Romanus impulsu Ambrosii episcopi Mediolani edixit, ut supplicia in facinorosos per dies triginta extraherentur? Etenim cum Theodosius Thessalonicensibus iratus plures quam aequum esset necari iussisset, non potuit id non grauiter ferre Ambrosius, uir diuinus ac Theodosium rebus sacris templique ingressu instituit arcere nec prius eum in ecclesiam et ritus diuinos admisit, quam ille poenitentiae signa publice edidisset: omnia homicidis praescripta explesset legemque etiam tulisset, ne quis deinceps mandato principis de puniendis sceleratis obtemperaret nisi lapso triginta dierum interuallo. Consideret mihi quisque uultum et gestum iratorum. Ore sunt tumentis, facie torua, oculis fulgurantibus, lingua titubante, uerbis perplexis et furentibus; quicquid in manum sumunt, uertunt in telum. Facile quidem haec signa monstrant, quomodo animus sit affectus hominum iratorum. Nullus apud eos locus est prudentiae, nullus consilio, nullus rationi. Fecit igitur Ambrosius, homo doctus et experiens, ut commotioni praesenti indulgendum minime censeret tempusque aliud expectandum sumendi supplicii, cum tempestates illae animi sedarentur, feruores sanguinis extinguerentur locusque esset rationi, prudentiae, bonis consiliis, quemadmodum ab Aristotele praeclare dictum est animum quiescentem omnibusque perturbationibus uacuum fieri prudentem. Contra quid illae XXIII horae efficiunt, quam furorem incitant ad ulciscendi audacitatem tumoremque mentis plus satis elatum celeritate cumulant? Optandum esse, ait Cicero, ut qui praesunt reipublicae legum similes sint; quae ad puniendum non iracundia, sed aequitate ducuntur. At istae horae non uolunt nos aequitatis ministros esse, sed furoris; non rationis ac prudentiae, sed doloris, impotentiae ac insaniae. Neque desunt, qui tantam uesaniam ornent uirtutis nomine, fortes eos appellantes ac magnanimos, qui suam uel amicorum iniuriam mox ultum eant, quod a nobis primo libro uanitatis plenum esse ostensum est. Quid autem illud, quod de tempore XXIII horas subsequente additur, non iam tum impune fore, si quis homicidam comprehensum occidisset? Scilicet omnia apte cohaerent. Tempus aduenit, quo homicidium, quod interuallo solennium horarum erat capitale, iam non sit capitale. Quid ita? Quia rabies, ira accensorum nonnihil resedit. Rationi iam locus est aliquis; adsunt monitores, qui nos ad lenitatem excitent. Fiat igitur iam ex capitali crimine non capitale, sed nobis utile et fructuosum. O praeposterum iudicium, quantam habes licentiam in hominibus, qui diuinis et populorum legibus contemptis tantum sibi tribuant, ut immodica sui cura ad tot absurda delabi non uereantur! Quae quidem absurda et indigna sunt longiore confutatione et ab omnibus liquido perspiciuntur. Vere illud dicitur ueritatem simplicem esse debere. Cumque in lege, qua de agimus, tot diuersitates comprehensae sint et personarum, pro uno scelere

eodem modo a diuersis perpetrato non idem soluentium, et horarum ac temporum ad comprehendendum homicidam constitutorum, quid aliud de conditoribus huius legis cogitari potest, quam nec ueritatem illos sequutos esse et temporibus quasi talorum iactu, hoc est casu, non certa ratione ad tot absurditates excogitandas gubernatos? Deserta enim ratione, lege diuina et naturae contempta, quid aliud restat, quam ut nos casibus et temeritati regendos demus et gubernandos? Addunt et illud, eum, qui nulla caedis denunciatione praemissa hominem sine causa occidisset, infamem fieri, qui uero caedem prius denunciasset, eum infamiam uitare. Quid igitur? An denunciatio illa crimen extenuat? An non pleraque uerba insignem alicuius nequitiam testantia perinde plectuntur, atque si crimen ipsum admissum esset? Qui ignem alicuius aedibus denunciat, comprehensus et conuictus mox capite plectitur, uel si aedes illas nun quam exussisset. Cur non eodem modo punitur interminans alicui mortem, etiam si illum nom occidat? Nihil est in hac lege homicidaria adeo cautum, quod non cum ratione pugnet, cum lege diuina et populorum. Sed haec omnia canuntur surdis auribus: nihil moramur tot accusationes; uiuimus in magna securitate; nihil nos tangit afflictio plebis, in quam haec potissimum lex posita est: nihil mouet sanguis hominum inique occisorum, qui clamat semper in coelum ac gemitibus inenarrabilibus uindictam flagitat cum de homicidis, tum de iis, qui istam legem tuentur gladium homicidis pro pecunia porrigentem. Quo magis metuenda est subita aliqua uis coelestis, quae tanquam uehemens procella ex alto ruat, nosque omnes, domos, familias ipsumque nomen Polonicum ab radicibus imis euertat atque conterat. Haec quidem quasi in desperatione a nobis dicuntur, qui tamen non ideo cessabimus in nostro munere. Itaque ad reliqua pergamus.

5. Multi partim uerbis, partim aliis iniuriis uiolare solent et principem et rempublicam, quod quidem crimen maiestatis uocant; de eo itaque aliquid dicendum. Multa autem de eo nostra tempestate et in foro et in senatu agitata sunt, maioribus nostris (ut ferunt) inaudita, ideo de hoc aliquid certi constituendum, quibus quasi limitibus comprehendendum et quibus poenis uindicandum sit. Theodosius quidem imperator obtrectatores laudum suarum tantum abest, ut maiestatis crimine damnandos putaret, ut neque durum aliquid, neque asperum eos sustinere uellet, ac maledictum in se iactum, si ex leuitate processit, contemnendum, si ex insania, miseratione dignum, si ab iniuria, remittendum esse censeret. Imperatoria sane et maiestatis plena sententia, qua declaratur hominibus in summa dignitate constitutis multas iniurias negligendas esse multaque multorum maledicta preferenda. Quemadmodum et Alexander Macedo dixisse fertur regium esse, cum bene feceris, male audire. Neque enim est ex principis dignitate, neque e republica populares optimatesque assuescere, ut nihil dicant sentiantque, quam quod principi placuit. Brutis animantibus imperet oportet, non hominibus ratione praeditis, qui uellet, ut subditi sui ad eum modum assuescerent. Si princeps es ac uel ea, quae te indigna sunt, facis, uel ea, quae sunt officii tui, negligis, in te culpam conferto, si pro eo ac meritis es, homines de te loquantur; sin nihil in officio tuo laberis nihilque in rationibus uitae tuae delinquis, nihilo tamen secius audis, quam si multa peccasses, tamen magnanimi uiri est, uereque regii, ut inquit ille, animi, male audire, cum bene feceris, sermonibusque uulgi contemptis omnem amplitudinem et dignitatem in uirtute et praeclaris faciuoribus positam existimare. Igitur si sententiae Theodosianae accedere libet, certe non omne crimen, quod in principem committitur, non omne dictum, non omne factum, maiestatis erit. Alexander etiam imperator, cum superioribus ante se temporibus multos uideret ob leuissimas suspiciones tanquam maiestatis reos punitos esse, restrinxit hoc crimen; nec adeo late ut olim patere multa-



sque causas, quae prius in hoc crimen uocabantur, suo se culo cessare uoluit. Itaque nobis committendum non est, ut causas criminis huius amplificemus, cum illi ipsi, a quibus elus speciem sumpsimus, illud restrinxerint. Multa ab Herennio Modestino de eo praecipuntur. Nam et personam spectandam esse an potuerit facere et an quid ante fecerit, et an sanae mentis fuerit; nec lubricum linguae ad poenam trahendum esse; quae quidem et plura alia in legibus Romanis prodita extant. Nos uero primum definiamus maiestatem, ut quis eius laesae argui possit, recte iudicemus. Maiestas igitur est amplitudo et dignitas reipublicae principisque ac eorum, qui legitime rempublicam gerunt, ex opinione praestantiae nata, in iure dicendo ac imperandi potestate consistens. Omnis enim dignitas magistratus huc spectat, ut iure ac imperio rempublicam gubernet. Ergo qui iuris dictionem interturbat aut iudicia uiolat, quique uel impedit uel priuat magistratum potestate faciendi sui officii, is, cum faciat contra rempublicam, maiestatis iudicetur. In summa is mihi reus laesae maiestatis esse uidetur, qui aduersus uel principem, uel magistratum, uel rempublicam, uel eum, cui pars aliqua reipublicae commissa sit, aliquid dolo malo, turbulenter, seditiose aut hostiliter fecerit molitusue fuerit, unde praesentis status uel debilitatio inclinatioe, uel mutatio in deterius consequi possit. Sed haec melius ex legibus Romanis cognoscentur; quae etiam poenam eius criminis ab eo, qui hostili animo aduersus rempublicam uel principem fuisset animatus, ad haeredes et liberos, uel qui nihil tale meruissent, peruenire debere, nec eos ius succedendi habere pronunciant. Et haec de maiestate.

6. Insignes sunt et illae iniuriae, quibus foeneratores auari et ambitiosi rempublicam afficiunt. Veteres quidem Romani seuerius foeneratorem quam furem puniebant legibusque sanxerant, ut fur dupli, foenerator quadrupli condemnaretur. Legibus etiam pontificiis cauetur, ut nulla sit eius factio testamenti, nisi primum restituant usuras inique extortas. Et de hoc igitur legibus cauendum et nimiae tum opum augendarum, tum honorum assequendorum cupiditates coercendae. Quod ita fiet, si et ambitiosi nota aliqua inurentur et de diuitiarum aestimatione erit detractum. Videmus enim, quanto, in honore sint diuites: illis maior tribuitur laus sapientiae, fortitudinis; illis prima loca ab omnibus conceduntur; nihil illi dicunt, nihil faciunt, quod non uulgo laudibus singularibus efferatur. Atque illi gradibus suis aureis scilicet et argenteis ad summos honores ascendere contendunt, ad quos si detur eis peruenire, tum se aulaeis, ueste preciosa, argento, auro et numerosa familia hoc est operibus diuitiarum, qui operibus industriae et doctrinae non possunt, uisendos praebent. Profecto studio eiusmodi uel acquirendi, uel ostentandi opes crescente fortitudinem decrescere, exercitationem militarem cessare, discrimen fortium et ignauorum, solertium et inertium tolli necesse est Cupiditas etiam honoris et magistratus supra improbata est. Itaque et haec legibus prohibenda sunt et omnes ad frugalitatis et parsimoniae disciplinam reuocandi.

## **CAPUT XI.**

### **Leges in luxum omnis generis.**

Igitur et leges sumptuariae conscribantur et luxus omnis cibi potus ac uestitus interdicator, picturae impudicae, cantilenae obscoenae una cum authoribus ex ciuitatibus eiiciantur, qua de re primo libro dictum est. Et in ebrietatem aliquid decernatur, cuius in regno fortitudinem amitti, ueternum omnia occupare certum est. Ideo Mahometes, ut erat ad perspicienda pericula sagax, cum Turcas suos natura molles et bibaces uideret, uino eis prorsus interdixit, cuius usum perniciem illis allaturum putaret. Pittaci uetus lex ab Aristotele narratur, ut ebrii, si quem aut conuiciis, aut plagis affecerint, aut modis aliis indignis acceperint, grauius puniantur, quam si id fecerint sobrii. Cum enim plures sint, qui poti alios iniuria afficiant, quam sicci, e republica esse duxit maiore supplicio eos coercere, qui ad peccandum magis, quam qui minus pironi essent. Nos contra excusatione ebrietatis minus seuerè insolentiam uinolentorum castigamus, cum tamen ebrietas et ipsa digna sit per se animaduersione et mater sit infinitorum uitiorum. Atque hinc consequitur perutile reipublicae esse interdici importationem omnium, quae ad luxum pertineant, ut sunt illecebrae libidinum ac gulae irritamenta omnia.

## **CAPUT XII.**

### **Leges in ociosos.**

Haud scio an sit in ociosos et ignauos lex aliqua ponenda et eos, qui curam nullam habeant merendi de re tum publica, tum priuatorum. Omnino uoce diuina sancitum est unicuique uescendum esse pane in labore et sudore et qui non laboraret, hic etiam ne manducaret. Itaque ignaui et fuci omnes aut pellantur ex ciuitatibus aut aliis poenis afficiantur, ad publica uero munera nullo modo admittantur. Bonorum enim industriae inuident, aliena appetunt rebusque nouandis semper student. Haud ab re fuerit singulos ciuium quotannis apud magistratum profiteri, quam quisque artem exerceat, unde sumptus faciat tum necessarios, tum liberales. Profecto obuiam hac ratione iretur multorum luxui omnesque a turpi ocio auocarentur ad honestas actiones. Multi equitum, nonnulli etiam reliquorum ciuium et sumptus maiores facere et ministros plures quam pro facultatibus alere consueuerunt, cum quibus ministris tum bonis alienis insidias struere, tum caedes committere non dubitant. Isti mores magna ex parte cessarent, si quisque rationem cogeretur reddere et temporis transmissi et rerum a se gestarum. Qui uero uel falso profiteri, uel arte iniusta uiuere compertus fuerit, hic iustis poenis afficiendus est atque uel ad res honestas impellendus, uel e republica eiiciendus. Ad cuius rei perfectionem haud scio an non multum prodesset magistratuum distributio a Mose Getronis consilio facta. Is enim populum Israeliticum in immensum auctum ita diuisit, ut singulis decem patribus familias suum decanum daret, decanis quinque quinquagenarium praeficeret, quinquagenariis duobus centurionem, centurionibus decem millenarium praeponeret. Millenarii tribuno parebant. Tribuni cum reliquis magistratibus summo reipublicae gubernatori obtemperabant. Habebat haec magistratuum distributio illam commoditatem, ut nec princeps reipublicae multum se fatigaret muneribus ad hunc modum inter multos partitis et gubernatio totius populi longe facillor esset, dum cuiusque uitae rationes a suo praefecto citius ac mellus cognoscerentur et uitia paruo negotio obseruarentur ac uindicarentur ociosique procul ex finibus expellerentur. Cessantibus inferioribus magistratibus superiores negligentiam illorum coarguebant et emendabant. Huiusmodi distributio uel ei aliqua ex parte respondens cum magno fructu et in nostra Republica posset obseruari.

## CAPUT XIII

De incendiis uitandis et opprimendis Quoniam autem multa persequimur non tam fortasse ardua et recondita, quam necessaria, non sit ineptum de incendiis tum cauendis, tum opprimendis praecepta hic uulgaria adiicere eaque in hanc edictorum formulam coniicere.

Ne quod detrimentum accipiant aedificia ab igne, quisque ciuium curato, ut fornaces, caminos, focos et loca omnia accendendo igni exstructa sint argilla et rebus aliis probe munita.

Camini eriguntur ultra summa aedium cacumina, ne scintillae euolantes tectis noceant.

Ignis a Calendis Maiis ad Calendas Septembres post solis occasum ne in ullis aedibus accenditor.

Foenum, stramen et id genus stipulae ne intra ciuitatem, ubi ignes solent accendi, praesertim in contignationibus supernis asseruantur.

Ignis aedificia petente pater familias aut domesticorum aliquis ex aedibus mox excurrito, ignes adesse clamato. Ni faxit, capitale esto.

Ad signum campanae ciues omnes adsunt ad ignem opprimendum.

Singuli patres familias ad aedes suas habent scalam mobilem, harpagonem hastili oblongo infixum ad aedes flagrantis diripiendas. Linteum ligno alligatum, quo udo ignis extinguatur; ad haec securim, urnam, uas ante aedes aqua plenum.

Quia autem nec instrumenta nec hominum multitudo ualet sine ordine, ciuium aedes ex ordine conscribuntur ciuesque omnes in quatuor, plures paucioresue tribus diniduntur.

Singulae tribus ex suo numero tribunos in annum eligunt, eo quidem die, quo annui magistratus eliguntur.

Tribuni electi iusiurandum in primis dant se in urbe ab igne et quouis casu infoelici tuenda fideles et diligentes fore.

Iidem suos tribules cognoscunt, aedes eorum minimum in anno quater inspiciunt, an contra ignis iniuriam sint munitae, instrumentis ad extinguendum necessariis instructae uidentur.

Tribunatu suo durante nisi aliquo qui pro se uicariam operam impendat constituto, ne discedunt. Igne seu alio casu incidente, cum tribulibus adsunt, quae necessaria sint, agunt. Non uenientes tribules aut in officio cessantes ad magistratum deferunt.

Tribus, in qua incendium est exortum, scalis, harpagonibus et linteis operam dato. Ex aliarum tribuum aedibus omnibus bini adsunt, alteri cum securibus, alteri cum urnis.

Qui cum equis praesto erunt, uasa adducturi, ab oneribus urnarum, securium et alils liberi sunt, ut sunt coctores ceruisiae, uectores et alii equos habentes.

Si quid horum, qui debet, non praestiterit, delatus a tribuno suo ad magistratum unam pecuniarum marcam, uenire autem negligens tres pendit.

Tribunus officium suum non praestans, periurus esto, ciuitate priuator bonaque eius thesauro ciuitatis addicuntur.

Hucusque leges de incendiis, quas scripsi, misericordia adductus, quod uideam incredibilem uecordiam non tantum plebeiorum, sed et clarorum uirorum in cauendis et opprimendis incendiis. Itaque raro apud nos incendium exoritur, quo non toti uici, aliquando totae urbes conflagrent.

## CAPUT XIII

Leges de actionum et probationum generibus; de diebus legitimis; de feriis Sunt etiam leges conscribendae de diebus legitimis, de actionum et probationum generibus, de omni ratione litigandi deque fo rensibus feriis. Prorogationes dierum in nostris iudiciis receptae odiosissimae sunt hominibus qui patiuntur iniuriam, iis uero qui intulerunt optatissimae. Viderint igitur legislatores, quid de his constituent. Genera actionum diligenter discernenda sunt: nec personales cum illis, quae in rem sunt, commiscendae, nec ciuiles cum criminosis. Qui maleficium commisit, in eum competit actio personalis. Si est fluxae fidei, comprehendendus est a magistratu ac in custodia tantisper habendus, dum uel iudicatum solui tum reipublicae, tum parti laesae satis dederit, uel a iudice de maleficio eius (fieri enim potest ut uix fideiussoribus, rebus uero nullo modo caueri possit, quod in adulteriis, stupris uirginum et similibus flagitiis accidit) iudicatum fuerit. Quid enim iactari attinet in eiusmodi delictis possessiones tuas quamuis amplas, ut ne magistratui illarum ergo manum in te iniicere liceat? Fecit impetum quispiam in domum tuam, uitiauit filiam tuam uirginem, occidit patrem tuum, fratrem filiumque, patrator sceleris est equestri loco, agri diues, gratiosus; uocas eum in ius; dantur ei dies a iudice, multis ex causis prorogantur, cognitio in longum profertur. Ille interea scelere patrato quoquouersum obambulat, fautores et ministros sibi comparat, aduersum te ita se gerit, ut truces in te oculos conuertat, uoces impuras et minaces emittat, incessu ac omni corporis gestu terrere te frangereque animum tuum studeat. Semper armis cinctus, operis undique septus cum sicis, gladiis, sagittis incedit; cum illis et in iudicium se proiicit, et in conuiuia, et in templa. Si eodem in loco tecum sit, primos ante te accubitus appetit. Si eadem uia tecum pergat, operarum multitudine te superare contendit. Si obuiam tibi fiat, aut de uia illi cedas, aut de uita cum illo dimices oportet. Utrum igitur mauis, an ut sceleratus iste libere uagetur, semperque capiti immineat tuo, an potius, ut ex uinculis dicat causam? Tu uero ordini equestri id tributum inquires teque id ferre, ut si quid forte simile designasses, eadem libertate gaudere posses. Hinc illa patientia nimirum et haec causa est libertatis huius praeclarae, qua et sceleris patrator in praesenti fruitur et tu in posterum speras te fruiturum. Vobiscum quidem, qui ad hunc modum affecti estis, nullis rationibus nullisque autoritatibus agi potest, qui res odiosissimas ac periculosissimas spe iisdem fruendi patienter toleretis. Verum toleratis persaepe magno uestro malo. Videt enim, uidet Deus ille sceleratae istius tolerantiae uestrae impias causas, ideo in easdem foueas prius praecipitat uos, quam uos alios praecipitetis. O duram conditionem et calamitatem nostrae Reipublicae, in qua et qui fecerunt iniuriam, et qui acceperunt, et qui ab ea sunt remoti, hanc ferant impunitatem uel spe turpis commodi, uel libertatis istius importunissimae causa hancque licentiam tolerant, quam pericula, calamitates et caedes teterrimae consequuntur! Vos uero, qui et patriae salutem charissimam

habetis, et uerae libertatis rationem tenetis, mecum considerate, quorsum attinet generis nobilitatem ac possessiones amplas in caedibus iactare? Valeant possessiones tuae, cum de terris aut re uendicanda agitur. At quid illae ad uerba, uulnera, mutilationes, caedes, quas tu commisisti? Iam ut horum minime sis reus, tamen minus forte iniquum fuerit innocentem ad tempus, dum crimen cognoscitur, comprehensum retinere, quam nocentem e manibus elabi atque impune uagari sinere; idque reipublicae condonandum, in qua omnes priuatorum res sunt comprehensae. Nam quod aiunt quidam uirtuti hominum equestris ordinis tantum tribui oportere, ut iudicio se staturos et iudicatum soluturos (sine comprehensione) confidendum sit, id non ita esse moribus usitatis coargui potest. Non enim uirtuti, nec generis nobilitati tribuitur licet carceris immunitas, sed possessionibus. Qui enim equestri loco nati possessiomes habent nullas, comprehenduntur, cum sceleris sunt accusati: qui habent aliquas, non comprehenduntur, quamuis possessiones illae tanti non sint, ut res, qua de agitur, uindicari ex illis queat. Illud uero etiam permirum, qui legibus cauerunt, ut ne quis nobilis possessiones habens capiatur non eosdem cauisset, ut ratio habeatur possessionum, an ex illis damnum, cuius accusantur, recuperari possit. Interest itaque reipublicae, ut facinorosi omnes a magistratu eius loci, ubi crimen admissum est, mox comprehendantur nullaque hac in parte nobilium et plebeiorum ratio habeatur, nisi ad eum modum, quem supra exposuimus, dum de poenarum uarietate ageremus. Et quia iniquum est, innocentem uel horam unam affligi, curandum est, ut de causis eorum, qui carceri inclusi sunt, cognitio mox fiat et uel conuictum uelox poena subducat, uel liberandum custodia diuturna ne maceret. Id enim fere totidem uerbis sanxerunt imperatores Romani. Qui innocens captus causam dicere cogitur, condonet id reipublicae idem in eum, criminis inquirendi causa, constituenti, quod in nocentem, de quo uix posset commode uindicta sumi, nisi caperetur. Sequere consoletur Christi Domini nostri exemplo, qui innocentissimus, capitis causam, captus a cohorte militum dicebat spemque reponat in sua innocentia, fore ut tandem Deo propugnante innocens declaretur. Scitum est autem: non carcerem infamare, sed crimen. Ac ne licentia cuiuis permittatur iniuste uel deferendi nomen alicuius apud iudicem, uel accusandi, poena constituenda esset tam in delatores, quam in accusatores. Iniquum enim est eum de se nihil timere, qui alicui periculum malitiose moliatur. Contra nihil aequius quam si is qui alium in discrimen fortunarum capitis aut famae adducere non dubitet, intelligat etiam res suas, salutem ac existimationem in discrimine uersari. Certe et lex diuina in eiusmodi homines poenam talionis constituit Deut. 19.

## **CAPUT XV.**

### **De iureiurando, testium examine et de temere litigantibus.**

Quoniam autem inter probationum genera iusiurandum numeratur, sine quo multae graues causae expediri non possint, ideo de eius religione diligenter sancendum est. Mos etiam ille testium iurandi de re ignota, qui fere in finibus regundis et in iudiciis obseruatur, abrogandus est. Solent enim ii ad iurandum adhiberi, a quorum uel memoria uel cognitione res, de qua agitur, sit remotissima, qui tamen putant se culpae insontes esse, cumeum, cuius res agitur, uident priorem iurantem. Quin potius uel eius, cuius res agitur, solius iureiurando statur, uel uiri eliguntur graues, seu consanguinei, seu uicini illius, qui illi iuranti ad sint ac si uisum fuerit, etiam iurent credere se illum uere iurasse Sanctissimus est mos ille iudicii ecclesiastici in testibus examinandis.

Quisque iureiurando obstrictus seorsim a scriba iurato examinatur. Vis iurisiurandi illi exponitur. Rogatur, qua in Deum sit religione. Eiusmodi interrogationibus conscientia et mores testis inuestigantur, dignusne sit, cuius testimonio fides habenda sit an secus. Tum rogatur, an rem, de qua dicturus est, uiderit, an uero audiuerit tantum? An sit doctus ab aliquo de testimonio dicendo et an cum aliis testibus de eo testimonio consilia communicauerit. Singulae quoque circumstantiae excutiuntur: locus, tempus, personae et id genus alia. Datur et potestas aduersario tum de personis testium, tum de negotio ipso. Iudicia Polonica, quod sciam, carent hoc genere probationum. Qui enim testium nomine inducuntur, nihil putant sua interesse scire an res, qua de agatur, ita se habeat an secus. Non male se functos officio arbitrantur, si eum, in cuius rem iurant, priorem uiderint iurantem. Omnino ad iurandum et testimonium dandum uiri graues moribus probati et prudentes uocari debent, qui quidem sciant se Deo honorem debitum tribuere, cum eum testem inuocant ac ueritati testimonium perhibent. Quod contra fit hodie plerunque. Qui enim moribus accersuntur, prorsus ignoti solent esse, precio conducti, multarum rerum non dicendarum suspecti ac tantum non infames. In quibus nihil magis requiritur, quam ut sint nobili genere nati: ideo legislator de his uidebit. Theologorum quoque est, qui publice docent populum in templis, uim et sanctitatem iurisiurandi explicare atque homines hortari, ut studeant, quantum in ipsis est, ueritatem iuuare ac pro ueritate et Deum testem citare et omnium inimicitias perferre. Memini etiam, cum duo in perniciem cuiusdam alius conspirantes causam in foro agerent. Cum autem reo iusiurandum decretum esset, petitor eiusdem iurisiurandi gratiam illi fecit, contentus uidelicet rei uoluntate, quam ille uultu, uoce, genuum flexu et omni gestu declarabat ac si ad iurandum paratus esset; itaque iudex reum absoluit. Sed res inter partes simulate et ex composito agebatur, omne enim in-



commodum ex absolute re ad tertium, in quem faba illa cudebatur, redundauit. Erant in eo iudicio multa periniqua. Iudici impositum est; qui etsi doli illius fortasse ignarus non erat, tamen aliter iudicare non potuit, quam ut causa erat instructa. Reus periurii se reum minime putabat, quod flexis genibus uerbis non iurasset, quasi uero uerbis tantum periurium committatur, non omni gestu, quem perinde homines habeant atque si uerbis conceptis iurasses. Petitoruero in quantos uitiorum gurgites se demersk? Difficile est omnia explicare. Sed ita breui habendum est. Quicquid agatur seu uerbis, seu gestibus, seu conniuentia, seu quauis alia ratione fallendi alicuius causa, omne id in uitio ponendum esse. Omnes illae significationes non nostra, sed eius, cuius interest, gratia fiunt. Nemo enim sua causa iurat, sed alterius. Cui ut persuadeat uerum esse, quod asseuerat, Deum testem inuocat eundemque, si mentiatur, uindictam sibi imprecatur. Non igitur uerba, non gestus ad mentem tuam, qui iuras, sed eius in cuius gratiam iuras, sunt interpretanda. Deinde omnis attestatio, seu uoce seu nutibus fiat, cui diuina autoritas obtenditur, iurisiurandi uim habere putanda est. Quae attestatio, si fiat fallendi alicuius causa et a sententia nostra discrepet, mendacium est et periurium. Qui periuria non exhorrent, illi de Deo parum recte sentiunt nec eum res mortalium curare, nec impietatem ulcisci credunt. Haec opinio topera praeconum uerbi Dei ex animis hominum eradicanda est. Discrimina etiam iurisiurandi diligenter annotanda sunt. Quamuis enim omnis eiusmodi religiosa testatio fiat, Deo immortalis interposito tum teste, tum uindice, tamen non omnis ad eundem finem destinata est. Qui calumniam iurat, quid aliud testatur, quam se non per fraudem, uincendi frustrandique causa alium litibus uexare, sed suo animo teste putare se iustum et rectum esse, quod agat dicatur? An uero sic iurans confestim expediuit causam omnem? Certe non id comprehensum est in formula iurisiurandi illius. Nam qui dicit se falsum crimen nemini scienter intendere, non e uestigio se rei, de qua agatur, dominum esse debere comprobauit. Aliis enim uis ad rem uindicandam eundem est, quam doli mali fraudisque purgatione. Pergamus igitur de causis iuris iurandi calumniae loqui. Improbitalis est et iniquitalis summae uexare eum litibus, quem scias rei, cuius abs te arguatur, insontem esse. Est autem in more multis, ut in ius uocati multas aduersario dicas impingant, tantum ut multitudme suarum actionum obruant eum ac ab agenda causa deterreant. Omnino igitur temere litigantes grauitate puniendi sunt. Qui suspectus sit eiusmodi temeritalis ac potius peruersitalis, is petente aduersario iureiurando confirmet se bona conscientia persequi ius suum; sin detrectet, causa cecidisse iudicetur. Mulctare uero eum, qui uel exigat uel det iusiurandum eiusmodi seu cuiusuis generis, hoc nomine non liceat, nisi forte falso et contra animi sententiam iurasse eum planum erit factum. Qui enim uerum et sanctum iurat iusiurandum, honorem Deo tribuit, qui et testis solus sit cogitationum nostrarum rerumque occultarum et seuerus ultor periuriorum. Mos etiam ille, quo uulgo milites utuntur, iurandi per solem aut stellas improbatur diuina uoce, cum sic dicit: „Dominum Deum tuum timebis et illi soli seruias; ipsi adhaerebis iurabisque per nomen illius.” Et haec quidem tum de iusiurando, tum de rebus aliis ex plurimis pauca, sed tamen, ut mihi uidetur, non inepta et legibus uel emendandis uel ferendis non inutilia libanda mihi in praesentia uisa sunt.

## **CAPUT XVI**

### **De iudicibus et iudiciis.**

Quoniam autem frustra leges ponerentur, nisi essent qui ex eis iudicarent, ideo iudices legum ministri in rebus publicis sunt constituti, quos prudentissimos ac optimos uiros esse oportet, qui nec in hanc nec in illam deflectant partem, sed ad leges et aequitatem oculos intendant.

1. Quod si nihil imperito homine ineptius, nihil improbo iniquius, quanto haec magis improbanda in iudice, qui dubia explicare, ex prauis recta facere debeat? Sint igitur iudices tales, qui legum, ex quibus iudicent, maximam habeant peritiam, non minorem etiam usum actionum et iudiciorum. Ridiculum est enim te ex legibus seu pontificiis, seu ciuilibus, seu quibusuis aliis sedere in aliquem iudicem, cum rudis sis legum illarum. Nec enim caecus de coloribus, nec surdus de discrimine sonorum iudicare possunt. Sint iidem, qui nec odio, nec ira, nec amore, nec misericordia, nec ulla peruersa affectione, sed sola ueritate ducantur causis cognoscendis et diiudicandis; qui munera accipiant nulla; commendationes pro aliquo factas contemnant; solius iusticiae et Dei iudicis iustissimi respectum habeant.

2. Sunt autem uel praecipuae iudicis partes causam partis utriusque, petitoris et rei exacte cognoscere. Neque enim fieri potest neque rerum natura fert, ut quis de rebus rectam sententiam ferat, quarum uel neutram, uel alterutram tantum cognitam habeat.

3. Alteri partium fauere, alteri iniquiorem esse, nequaquam iudicis est, hoc est eius, qui se medium inter aliquos profiteatur, sed est potius adulatoris et iusticiae peruersoris. Itaque Alexandro Macedoni in more fuisse perhibetur, ut si alterutra partium ad illum questum uenisset, unam illi aurem accommodaret, se enim alteram alteri partium integram seruare uelle dicebat. Quod et in Areopagitis in primis laudatur, qui in tenebris non luoi causas cognoscebant, ut non dicentium, sed rerum quae dicerentur, rationem habere putarentur.

4. Petitori inuito iudex formam actionis praescribere non debet, sed ut in potestate petitoris est actionem intendere, cui uelit, ita integrum illi sit, quouis actionis genere experiri cum eo, quem aceuset. Qui iudex secus faciat, suspicione huic bene, illi male fauendi non caret, quae quidem re nihil est detestabilius in iudice. Sint poenae in accusatores constitutae, iniuste et parum uerecunde rem agentes, si cadant causa, potius quam ut actiones inuitis illis uel mutantur, uel praescribantur, multo minus tollantur.

5. Iudicis quoque est lites, quantum possit, extinguere partesque ipsas uel causa iam cognita ad concordiam hortari nec ante sententiam, quid sentiat quidue mentis et animi habeat, significare.

6. Si concordia inter partes desperatur, tum uero iudex pro tribunali quanta maxima possit grauitate, sanctitate, integritate eam sententiam ferat, quam summo illi et praepotenti iudici,

Deo se probare posse confidat, neutri partium faueat nec eandem ob rem hunc fustuario, illum uerbulo castiget, solius ueritatis rationem ducat hancque sibi uiam ad illa beatorum domicilia tutam et expeditam putet. Quod si quid secus quam ueritas et iusticia ferat, dixerit feceritue, uoluptatem fortasse non diuturnam, nequiter uero factum diuturnum et perpetuum et in hac et in futura uita secum fore existimet.

7. Addat autem iudex sententiae a se latae causam, quam sequatur. Etenim nihil stultius nihilque peruersius est, quam sententiam ferre, cuius causam ignores aut non intelligas. Quod si eam cognitam habes iustamque et legitimam esse cognoscis, reticenda non est, ut non tantum tibi ipsi satisfacias, sed omnibus planum fiat te et statum controuersiae recte intellexisse et animum tuum ad normam regulamque certam direxisse. Aequiore etiam animo, qui damnatus est, feret tuam sententiam, cum condemnationis sui intellexerit legitimam causam. Qua ignorata facile homines impelluntur ad prouocationes usitatas, ab inferiore ad superiorem iudicem.

8. Iudices rerum ecclesiasticarum nunquam (quod quidem sciam) causas, nisi de scripto lata sententia definire consueuerunt. Quos cur iudices rerum profanarum non imitentur, causa nulla est, Magis enim cogitata et meditata uidentur ea, quae de scripto proferuntur nec in dubium uocari possunt, quae scriptis mandata sunt. Scio post iudicis cuiusdam de causa prope criminosa sententiam sine scripto dictam inter litigantes certamen extitisse magnum, dum uterque pro se uersutia quadam menti notarii caligines offundere studeret. Notarius uero uix litigantibus illis sine offensioneutriusque, aut certe alterutrius, satisfecit; imo ne uix quidem. Uterque enim aliquid desiderabat, iudex uero iam alio discesserat. Haec difficultas auferetur, si iudex de scripto dixerit ac notario scriptam sententiam commiserit. Vidi et illud, cum iudex pro tribunali serentiam pronunciaturus, aliquoties admonitus quaedam addiderit, quaedam mutauerit. Recte quidem. Sed quid, si monitori id in mentem non uenisset? An iudex in officio non claudicasset? Fluxae sunt cogitationes humanae, memoria uacillans ac in negotiorum infinitate uix sibi constans. Quae igitur inuenta, excogitata et cognita sunt, nisi scriptis tanquam custodibus fuerint commissa, facile dilabuntur et diffluunt. Quid quod scriptione ipsa et literarum quasi exaratione non tantum memoria confirmatur, sed ipsi scribentes admoventur ad peruestiganda multa, quae sola mentis agitatione uix possent odorare?

9. Fugiant non minus quam uenenum munera iudices. Idque omnino legibus cauendum esset, ne quid in muneribus acciperent. Corrumpunt enim fere iudicia, qui muneribus leniti sunt, quemadmodum dixit ille:

Munera, crede mihi, placant hominesque deosque.

Imo et salaria eis iusta essent constituenda, ne quid ex iudiciis exercendis expectent, quo uel ad condemnandum aliquem iniuste, uel ad absoluendum excitarentur.

10. Commendationes, quae fiunt pro alterutra partium, negligat iudex. Non ab re esset lege cauere, ne quis audeat commendare iudici causam alterutrius partium, ac ne rex quidem, imo hic minime omnium, cuius tanta sit autoritas, ut facile moueantur omnes in eam partem, quam sciant regi cordi esse. Est autem peruulgatum prouerbum cogi inferiorem a superiore, a quo rogetur.

11. Cum autem nullum sit arctius uinculum ad officium debitum praestandum iureiurando, obligandi sunt eo prius iudices, quam hunc ineant magistratum. Qui prudens ac sciens non recte iudicium fecerit, qui item aliquid in muneribus acceperit, hic ad regem et totum conuentum delatus ac iure uictus et magistratu est amouendus, et iustis poenis usque ad capitis

amputationem afficiendus. Sit autem unicuilibet potestas accusandi talem iudicem. Ne autem ei sit impune, qui uel commendatione uel muneribus iudicis animum corrumpere tentauerit, sit et hunc cuiilibet liberum accersere, uel in capitis iudicium. Exquisitum est illud supplicium, quo Cambyses, Persarum rex Sisamnem Asiae prioris partis praefectum affecit. Quem cum largitione corruptum inique iudicasse cognouisset, pellem de corpore eius detrahi eamque in tribunali extendi uoluit ac in locum occisi filium eius iudicem suffecit, ea lege atque omine, ut contemplatione paternae cutis caueret, ne simile aliquando iudicium subire cogeretur. Ita rex barbarus atroci ac noua poena iudicis, ne quis postea corrumpi iudex posset, prouidit.

12. Illud quoque sancendum, ut nemo causae suae iudex esse audeat. Tres enim in omni iudicio personas esse conuenit: petitoris, rei et iudicis. Perinique itaque faciunt, qui causas suas agentes, homines imperio suo subiectos condemnant. Non est haec libertas illa, quae in ore omnium est nec iuris aequabilitas, qua stant bene fundatae respublicae, sed seruitus barbarica, qua dominus fingitur potestatem habere uitae et mortis seruorum, damnationis et absolutionis. Haec seruitus ex Christianorum rebuspublicis multis Caesarum legibus explosa est; itaque si Christiani sumus, a nobis quoque nostrisque finibus eam expellamus. Omnes certe homines libertate aliqua gaudere debent; omnes enim ad imaginem Dei conditi sunt, omnes a pecudibus brutis ratione et uoluntate secernuntur. Quanto uero magis Christiani populi a Christianis dominis numero mancipiorum eximendi? Uno enim precio empti sunt cum dominis: eorundem Dei mysteriorum participes sunt. Quanquam ut rerum aliarum, sic libertatis sunt gradus quidam, et quemadmodum Paulus inquit, stella differt a stella claritate. Quam igitur libertatem colono tuo relinquis? Non est liber a decumis soluendis, non a uectigalibus et tributis pendendis, non a laboribus tibi subeundis, nulla illi potestas est petendorum honorum, quam tu habes integram. Quae igitur libertas reliqua est? An non ea, quae in legum ac iudiciorum aequa descriptione consistat? Huius uero quodnam caput constitues, quam ut ei ius potestasque sit te uocandi ad legitimum iudicem? Et coloni et omnes plebei a nobilibus uulgo pro canibus habentur. Hinc illae uoces impurissimorum hominum: „qui rusticum” (sic enim plebeios omnes uocant, quamuis a rure remotos) „necauit, perinde est ac si canem necasset.” O uocem excisione linguae puniendam, quae quidem uox ex caedium iniqua aestimatione et iurium inaequalitate orta est! Si igitur adimimus colonis ius uocandi dominos ad iudices, adimimus eis omnes libertatem. Si dominis damus potestatem iudicandi eos in re sua, tollimus rationem omnem iusti iudicii, quod cum personas tres requirat, rectum non erit, ubi idem iudex fuerit qui accusator. Quocirca et coloni et omnes subditi a tyranide huiusmodi dominorum liberandi sunt. Liceat et domino subditum et subdito dominum ad iudicem legitimum citare, aliter enim forma iusti et recti iudicii non seruabitur. Vix enim est aliquis, qui suae causae iudex, non sibi sit aequior quam reo. Quod si quis est, tamen cuiusque interest, non tantum iniuriam fugere, sed et suspicionem iniuriae. Qui id negligunt, id consequuntur, quod olim de seruis proditum est, ut quot subditos habeant, tot hostes. At id in praesentia non apparet; utinam uero nunquam detur occasio, ut appareat. Sed prudentum est, rebus futuris consulere et ad dubia reipublicae tempora amicos sibi parare.

13. Iam illa sunt considerata, utrum iudicibus iisdem disceptantibus omnes causae discernendae sint, an plura iudicum genera pro qualitate tum causarum, tum personarum constituenda? Quem admodum nonnullis in prouinciis alii iudices sunt, qui priuatorum causas cognoscunt, alii qui publica negotia iudicant, item alii sunt criminum capitalium, qui etiam penas constituunt alias in nequam homines, alii de urbanis et forensibus rebus tractant; rursum

alii, qui inter optimates ac praestantes tum genere, tum ordine uiros, alii inter plebem ius dicunt. Illud item an plures uno iudices eligendi causarum seu omnium seu grauiorum, ut quibus de capite fortunisue alicuius agatur, an uero unus cum autoritate sufficiat, cui homines iurisperiti, ex quorum sententia iudicet, pro assessoribus adiungantur? Ad haec etiam, si sint plures, perpetuae omnes an unus quasi ordinarius, alii sorte ad certa uel tempora, uel negotia delecti? Tum etiam an iidem, an diuersi sint, qui causas tam suorum ciuium quam peregrinorum et aduenarum cognoscant? Praeterea multitudine iudicum constituta, an singulos de re qualibet uoce sententiam ferre necesse sit, an quibusdam in rebus clam suffragiis decernere conueniat? Denique a quibus iudicibus prouocare liceat, a quibus non? Postremo iudici, a quo prouocatio facta sit, an sententia, quam tulit coram iudice, qui appellatus est, tuenda sit, necne? Haec, inquam, et similia consideranda ac de eis diligenti consultatione decernendum.

14. Considerationis est et illud, an iudici praeter partium proposita et responsa liceat aliunde ueritatem inuestigare. Saepe enim causae iusticiae aut in occulto latet, aut opprimitur alterutrius partium uel errore, uel cauillationibus, iudici quidem cognitae et perspectae. Quas si iudici explicare fas esset, facile indicaretur uia perueniendi ad rectam sententiam. Sin propositis tantum et responsis partium niti ei necesse sit, sententiam quoque iniquam sciens prudensque saepe ferat necesse est. Memorabile est iudicium Salomonis, regis Iudaeorum sapientissimi, quod de uiuo puero inter mulieres duas exercuit; nam cum utraque contenderet suum esse, neutra autem probare posset intentionem suam, simulauit se in partes duas scissurum ac inter illas partiturum. Cumque altera mulierum annueret, altera renueret atque haec sua parte libenter se cessuram alteri, modo ne puer secaretur, diceret, agnouit Salomon uere maternam uocem, scissionem renuentis eique uiuum puerum adiudicauit. Multae in causis existere solent cauillationes excogitatae astutiae et malitiae partium in suam ipsorum perniciem mutuo incumbentium. Quibus nisi occurratur, laedi iusticiam necesse sit. Itaque prudentis est, opinor, iudicis detegere omnia, quae iusticiam uel promouere, uel impedire queant. Neque uero alterutrius partium studiosus, sed iusticiae patronus esse uidebitur, si ex aequo utriusque consulens omnia explicauerit, quae faciant ad iusticiam sine ullius personae respectu obtinendam et adipiscendam. Ac iudicium quidem illud Salomonis, etiamsi praeter partium proposita, non tamen sine ratione factum est. Est enim ex suspitione et coniectura minime leui profectum. Imo uero tantum argumenti ac rationis habet, ut omnes recte sentientes illud approbare cogantur. Fit eius mentio et in sacra historia et in Decretalibus epistolis de praesumptionibus, c. Afferte. Caeterum ubi coniecturae nullae sint nullaque ratio appareat, sed iudex pro certo nouit rem aliter se habere, quam ab alterutra partium probatum est, aiunt ei iudici, qui summam in terris habeat potestatem et a quo ad neminem prouocatio sit, pro causae ueritate sibi comperta sententiam ferre licere, cuius scilicet rationem soli Deo reddere debeat; ceteris non licere. Sed de hoc quoque est diligentius quaerendum.

15. Haud scio, an mos ille improbandus sit iudiciorum rarius exercendorum, lites enim in longum extrahuntur, impensae immodicae fiunt, causae ipsae prorogationibus (quas uulgus limitationes uocat) dierum legitimum uariis et innumeris saepe magis quam rebus ipsis implicantur, difficillimae et prope inextricabiles redduntur, quo fit, ut a multis, desperatione profectus, deserantur. Omnino singulis in municipiis iudices certis in locis pro tribunali sedere semper deberent ac, quando et quoties opus esset, iusticiam omnibus administrare, omnibus potestatem se conueniendi facere, omnium desideria audire. Magno digni sunt odio isti, qui rerum quamlibet leuium causa difficiles se in adeundo praebent, causas exacte cognoscere

non curant iusticiamque in diem ulteriorem reiciunt. Non est hoc agere personam iudicis, sed eius, qui sibi rebusque suis consulat et ad suum emolumentum omnia conferat.

16. Omnis multitudo, ait uetus uerbum, parit confusionem. Itaque si litigatores sunt multi, ne et tempus inutiliter perdant et iudicibus sint molesti, proponant iudices in albo curiae suae ordinem iudicandarum personarum idque per municipia eorum, qui rei sunt (sic Latini uocant eos, qui accusantur) causis digestis, deinde municipiis in ecclesias paroeciarum distributis, respectu scilicet habito, in qua quisque reorum paroecia sit ad iudicem citatus seu coram, quod audio seruari in Lituania, seu in possessionibus, ut mos est Polonicus. Ita ordine constituto causarum nullae turbae erunt ad tribunal iudicis, quisque sciet, ad quam diem se sistat, aliis diebus negotia iudicibus non obturbabit, tempusque, si uolet, utiliter dispensabit. Neque praekonum clamores desiderarentur, quisque citatorum loco et ordine suo adesset. Qui negligeret, contumax pronunciaretur.

17. Hic de iudicibus generalibus, ad quos ab aliis omnes regni ordines prouocare possint, ab illis autem ad neminem alium, dicendum est, de quibus memini in conuentibus aliquando agitatum esse, sed res nescio quibus rationibus uel impedita est, uel extracta. Et tamen eam esse et priuatis uniuscuiusque rebus et publicis pernecessariam ingentiumque utilitatum plenam facile ostendi potest, si iudiciorum, ad quem modum hodie fiunt, incommoda considerentur.

18. Tot enim tantaeque causae ad conuentus uniuersorum deferri solent, ut nec tempus, nec ipsi iudices, qui deliguntur, sufficiant cognoscendis omnibus et diiudicandis. Conuentu enim finitocum causae sint innumerae iudicandae, earum tractatio in praesens omittitur et in conuentus posteriores profertur; quo fit, ut multi causas suas uel componant, tametsi iniquis conditionibus, uel prorsus aduersariis tradant, morae et impensarum ingentium impatientes. Quod si causae tenues essent, leuius id ferendum foret, sed plerunque grauissimae sunt uel de possessionum terminis, uel de integris haereditatibus, uel de iniuriis minime ferendis. Iam inter iudices, qui in conuentibus de more deliguntur, solent interdum esse, qui non obscure dictitent multas causas esse supra captum cognitionis suae. Cum autem et ratio et aequitas id postulet, ut publicum hoc totius orbis Sarmatici consilium instructum sit rebus omnibus ad causas omnium et ad negotia pertractanda, certe periniquum fuerit, si qua causa uel cognitorum imperitia claudicet, uel tempore exclusa agi non possit. Optimo igitur iure pastulasse putandi sunt, qui quasi decemuiros ex omnibus regni ordinibus legi uoluerint, qui non tantum per dies comitiales, sed toto anni tempore causis ex omnibus nostris prouinciis ad se delatis cognoscendis iudicandisque operam praeberent. Inductus est mos eiusmodi iudiciorum a uiris et legumlatoribus prudentissimis olim in respublicas Graeciae. Erant apud Athenienses Areopagitae multis praeclarissimis iudiciis celeberrimi. Itaque et deos ludicasse et dii primum illud iudicium exercuisse a ueteribus perhibentur. Erant et Amphictyones, publicum consilium ex septem Graeciae ciuitatibus conflatum. Horum exemplo iudicum centuriae in plerisque rebuspublicis constitutae sunt et ad haec usque tempora durant, ut totius nationis Germanicae Spiraee, quae urbs est ad Rhenum sita, omnis etiam Galliae, Lutetiae, in eo loco, quem Parlamento nomine appellant. Cur igitur et nos non imitemur rerumpublicarum optime constitutarum exempla? Cur non curemus ex omnibus ordinibus deligi prudentissimos quosque et legum et omnium doctrinarum peritissimos, qui causas ex omnibus nostris prouinciis ad se appellatione delatas iudicarent; quos non tantum doctos, sed multis uirtutibus praeditos esse oporteret, ut et possent et uellent iusticiam unicuique administrare; apud quos diuitis et pau-

peris, nobilis et plebeii, ciuis et peregrini, domini et serui discrimen esset nullum, sed qui constantem et perpetuam uoluntatem haberent tribuendi unicuique, quod suum est; qui non temporibus dispartitis, sed omni tempore totius anni ex lege iudices sederent; qui ex aequo potestatem haberent in omnes populos in eadem republica uiuentes; ad quos prouocationes essent ab omnibus magistratibus, ab illis uero ad alium neminem. Horum uero non tantum munus iudicandi esset, sed et reconciliandi discordes et tumultuantes compescendi, et litium causas praecidendi ac nisi res aliter componi possint, tum uero pro tribunali sedendo causas cognoscendi ac unicuique ius suum reddendi. Hac ratione et querelis de iudiciorum prorogatione obuiam (ni fallor) iretur et causidicorum artibus minimum loci relinqueretur. Via etiam praeccluderetur iis, qui Romam usque uel in certas prouincias cursitent, non raro quidem leuissimis de causis, semper uero iactura maxima cum pecuniae tum morum; omnia enim domi relinquunt neglecta et amicos, et familiam, et ecclesias et Rempublicam. Sed sunt, qui hoc genus iudicum parum necessarium esse putent, quod res omnes iis iudiciis, ubi de more palatini cum castellanis et reliquis magistratibus congregantur, expediri possint. Verum in multis id genus magistratibus saepe diligentia iudicandi et multa alia desiderantur. Deinde quia domestici sunt, partim necessitudines, partim offensiones mutuae animos illorum a uero abducere possunt. Quod non tam facile caderet in eos, qui ex omnibus municipiis iudicio uniuersi conuentus detigerentur. Alii ab eiusmodi iudicibus propterea abhorrent, quod periculosum uideatur tales iudices perpetuos esse, qui in omnes partes securi, aliorum iudicia non timeant. Verum qui ita loquuntur, non tam rem ipsam, de qua diximus, improbare, quam abusum metuere uidentur. Negari enim non potest multas multorum hominum causas de conuentu in conuentum reiectas desperatione quadam et sumptuum magnitudine desertas esse; quae si iudicia centumiralia eaque perpetua exercerentur, et sumptu minore, et tempore breuiore expedirentur. Deinde et illud constat, quemadmodum Reipublicae interest artifices rerum omnium certos et probatos esse, qui artis suae opera faciant, ita eidem conducere, ut sint certi quidam, qui studium iudicandi profiteantur, ad quos prouocari a iudicibus aliis omnibus possit. Quorum si uel tyrannis metuitur, uel perpetua in hoc officio mansio suspecta habetur, sint sane temporarii. Sit in illos iam ex centuriis iudicum exactos, potestas animaduertendi. Id enim olim Romae usitatum fuit, ut quamuis omnis potestas sacrosancta esset, tamen abeuntibus magistratu actio iniuriarum maleque obitio officii intendi posset. Cuius rei metu continebantur in officio magistratum gerentes, uiam uirtutis deserere non audebant nec in tyrannidem facile prolabi poterant. Igitur si non placet iudices hos perpetuos esse, sint ad tempus trium aut quatuor annorum. Quorum si quae uitia timentur, non minus et aliorum cuiusuis generis timenda sunt. Vix aliquis inter iudices in conuentu uniuersorum assumitur, qui non iisdem uitiiis laboret, quibus isti, de quibus agimus, laborare possent. Ergo si hi reiciuntur, et illi in totum reiciendi essent. Quod si metuimus tyrannidem iudicum, si perpetui constituerentur, tollamus igitur magistratus omnes perpetuos e republica, a quibus non minor quam a iudicibus tyrannis metuenda est. Quin ergo abusui, quantum licet, occurramus, rem autem necessariam et salutarem amplectamur? Mihi quidem tyrannidi occurri posse uidetur, si non ii deligantur, qui ambient quie impotentius se in rebus aliis gerere uisi sint. Ac ne quid loci sit aliquibus inuadendi hoc munus, non abs re uideretur, ut sorte primum eligerentur ii, qui postea iudicio eligerent iudices, quos optimos et prudentissimos esse putarent. Qui contempto hoc iudicum genere a rege uolunt singulas causas cognosci, non secus faciunt, quam si ingenti numero hominum aegrotantium uellent aliquem unum medicum praeficerie, peritissimum quidem il-

lum; sed cum ille omnibus operam dare non posset, mallent maximam illorum aegrotantium partem perire, quam ut ille impertiret doctrinam et rationem medendi aliis, qui uicem eius implerent hominibus curandis et ad sanitatem restituendis. Videmus regem nullo modo sufficere posse tot tantisque causis cognoscendis. Videmus multos, priusquam causae suae a rege cognoscantur, opprimi uariis modis ab aduersariis, confici taedio, gladio, uel alio mortis genere perire. Quae igitur malum uesania est, cum regem aliis rebus occupatissimum, tot causis iudicandis praesse minime posse uideamus, ut non id curemus, quo ille hanc prouinciam aliis mandet atque tales iudicum decurias constituat, qui finem imponant controuersiis? Eligerentur autem ex omnibus ordinibus in has decurias, siquidem omnes ordines iudicare deberent. De numero eiusmodi iudicum si quaeratur, uidentur nouem sufficere tanto muneri. Nihil tamen refert hunc numerum minui augerue aut etiam ex singulis municipiis singulos deligi. Veruntamen, si uerum est omnem multitudinem parere confusionem, cauendum est, quoad eius fieri possit, ne sint longa subsellia iudicum. Melius et citius explicabunt rem quamuis implicatam pauci periti et experientes, quam multi imperiti, qui tantum numeri causa locum iudicum occuparent. Solent tales serere sermones et dilatare, nihil ad rem pertinentes. Solent peritoribus obstrepere. Deinde numerandis sententiis plus intenti quam ponderandis, sententia, quam sequantur, ut ualeat, contendere solent. Sed nos numerum certum definire non possumus. Proponimus autem exempli causa nouenarium, ut quod de eo dicemus, de alio quoque dictum intelligatur. Sint igitur iudices, de quibus agimus, nouem. Eorum autem tres ordinis ecclesiastici, tres equestris, tres plebis, a quo numero iudicium uel collegium nouemuirale uocaretur. Imparem numerum proponimus propterea, quod in paritate discordantium sententiarum semper aliquis quaerendus esset, qui ad alterutram sententiam se adiungeret, qui tamen ad imparem numerum minime est necessarius. Nam etiamsi discordes essent iudices, maior numerus uinceret minorem. Conficiendum autem diximus hunc numerum ex ordinibus omnibus ideo, ut quisque ternarius sui ordinis homines iudicet. Nihil tamen impediret, quo minus singuli ternarii iudicandis suis hominibus aliis ternariis uterentur pro assessoribus ac consultoribus. Nam etsi iura et leges uariae sunt, ex quibus iudicentur ordines illi, tamen similitudine ex unis legibus in alias transferri possunt. Optandum autem est, ut unae leges scriberentur omnibus populis, qui iuni principi subiecti sunt, quemadmodum membra corporis unius eodem spiritu uegetantur, mouentur, et gubernantur. Cuius rei efficiendae magna haud dubie occasio praeberetur his nouem uiris, qui una semper essent de rebusque et causis omnibus inter se communicarent. Multa incommoda accidunt ex prorogationibus iudicialibus usitatis. Sedeant igitur iudices generales perpetuo ad ius dicendum, nullo quidem die excepto, nisi iis, qui in iudiciis ecclesiasticis pro feriis habentur, ut sunt dies festi omnes et nonnulli profesti, nec non tempus messis, quod a festo Margariae ad festum Bartholomaei extenditur. In hunc numerum tempora belli et conuentus includenda uidentur. Tempus cognoscendi et finiendi unamquamque causam, quae ad hos iudices perferretur, trimestre esset. Unus mensis toti causae cognoscendae daretur, altero mense de sententia deliberaretur, tertio ferretur eadem, quam de scripto recitari par esset. Neque enim scribae, nec partibus ulla esset dubitatio de sententia scriptis mandata, cum quidem de iis quae sine scripto feruntur, soleant esse non modicae partium altercationes. Ne autem partes, quae litigarent, sumptibus iudicialibus onerarentur, mediocre aliquod precium constituendum esset, seu pro scriptura, seu pro operis iudicum, ultra quod precium nefas esset plus exigere. Potestas horum iudicum esset cognoscendi, iudicandi et sine debito terminandi causas omnes ad se perlatas, sine ulteriori pro-



uocatione. Itaque a sententiis eorum prouocari nemini liceret, nisi forte res noua esset et inaudita, nec unquam in iudicio uersata, nec legibus comprehensa. Tum enim iudices ad regem et conuentum uniuersorum appellari permetterent causamque partium, propositis et responsis una conscriptis, remitterent Sententia autem de causa eiusmodi a rege lata iudicibus deinceps pro lege esset ad causas similes iudicandas. Sedes ac domicilia iudicum, de quibus agimus, collocarentur in aliquo loco salubri et rebus necessariis abundanti ac in primis, qui aequaliter, quantum fieri posset, a municipiis ac prouinciis omnibus Sarmaticis distaret, qualis uel Cra-couia, uel Petricouia esse uidetur. Aedes singulis propriae curarentur, coniunctae illae quidem et continentes, ut solent esse collegiorum. Haberent aedes illae ipsae commoditates omnes pro ipsis iudicibus et eorum scribis, pro uxoribus, item eorum (siquidem essent mariti) liberis ac omni familia. In loco medio, qui inter aedes illas terset tanquam insula, templum aedificaretur, ubi iudices cum suis omnibus rei diuinae uacarent suasque actiones Deo immortalis commendarent, a quo est rectum iudicium et bona omnia. Proxime templum esset curia, in qua iudices ius dicerent ac iudicia exercerent. Quoniam autem nemo militat stipendiis suis dignisque est operarius mercede sua, reipublicae interest consulere necessitatibus iudicum generalium. Primum igitur singulis in uicinia darentur pagi singuli, ubi pro tempore rusticarentur, hortos et agros colerent eaque tanquam in promptuariis haberent, quae ad uictum essent necessaria. Si pagi eiusmodi aliunde haberi non possent, a ditioribus uel abbatibus uel episcopis petendi essent. Sin minus impetrarentur a praesentibus, facile ab iis obtinebuntur, qui in horum loca proximi successuri sunt, siquidem sacerdotio non prius ornentur, quam fidem faciant se id reipublicae causa donaturos esse. Quanta autem iisdem iudicibus pecunia annua danda et unde conquirenda sit, in tertio libro dicemus. Quoniam autem ambitiosorum et fucorum magnus est ubique numerus, ne commoditates, quas diximus, aliquos allicerent ad petendum hoc munus iudicandi, danda esset potestas iudicibus a conuentu electis, ut ipsi deinceps suo iudicio in locum demortuorum alios sufficerent et eligerent, ea quidem fide, quam iureiurando dedissent, cum in hoc collegium iudicum allegerentur. Quam electionem uel conuentus, uel si eius tempus procul abesset, rex sua autoritate confirmaret electumque ac confirmatum iureiurando ad modum supra expositum constringeret. Ac ne ob eius absentiam iudicia negligentius fierent, ad iudices alios continuo remitteret. Est autem hoc pernecessarium, ut quemadmodum alii artifices melius de arte sua, quam eius imperiti, existiment, ita iudices, eos sibi collegas asciscant, quorum industriam, peritiam et probitatem in iudiciis perspexissent. Aliter ambitioni occasio non praecideretur, eoque tandem ueniretur, ut quemadmodum fit in sacerdotiis, ita in hoc honore multorum praelectiones uideremus hique, quorum potestas esset, non quos idoneos putarent, sed uel quibus fauerent, uel a quibus maxime ambitus essent, eos iudices facerent ueniretque hoc munus pedetentim ad homines malos, iudicandi imperitos et ignauos, quod quam perniciem afferret reipublicae, ex iis aestimare licet, qui honoribus titulotenus gaudent.

## CAPUT XVII

### De conuentibus uniuersorum

Iudiciis recte constitutis conuentus breuiores essent; quos tamen ipsos omni anno haberi necesse foret, primum ad inspicienda regni, si quae emergerunt, uulnera et ad medicinam eis faciendam, deinde propter oratores externos, qui a suis principibus fere in conuentus solent mitti. Ad haec ad uoluntatum exterorum populorum erga nos disquisitionem, tutane sint nobis ab illis omnia, an uero aliquid ab illis metuendum? Num quid difficultatum aut damnum nobis sit ab illis illatum? Bellum num contra aliquem decernendum, an rationibus aliis occurrendum hosti? Num aliquod tributum reipublicae causa sit imperandum? Sunt et illa, extra conuentum uix tractari possunt, iudicia famae ac honoris, quae in omnibus rebus publicis principibus ac regibus reseruata sunt, magistratuum quorundam distributio, rationum fisci examen et reliquae summae inspectio, ut inde coniceretur, num sit necesse aliquam pecuniam contribui. Verum constitutis iudiciis generalibus conuentus multo breuiores essent; una et altera hebdomada sufficeret conuentui, ad quem oratores municipales tanto numero, ut solent, uenire minime necesse esset. Et qui uenirent, eos aliquid a fisco accipere ualde incommodum reipublicae. Quanta enim summa illis sumptuum nomine numerari solet? Quae si in militem aut aedificia resque necessarias conferretur, non male consuleretur reipublicae. Faceant et ipsi de suo sumptus reipublicae causa, a qua bonis et priuilegiis multis sint aucti et ornati. Multi procerum conuentus tempore multos florenorum millenarios exponere solent, utpote conuentibus extractis in multas hebdomadas; hos sumptus in alias reiipublicae necessitates conferri pulchrum et utile esset. Sed de conuentus rationibus hactenus; ad iudicia redeamus.

## CAPUT XVIII

### **1. De accusatoribus et defensoribus tum suas causas agentibus, 2. tum publicas. 3. De censoribus. 4. De causidicis.**

1. Ultra personam iudicis duae in iudicio personae necessario requiruntur, accusatoris et defensoris. Uterque rem simplicissime exponere debet. Si quid per alterutrum falso ac per calumniam, decipiendi uel iudicis, uel aduersarii causa expositum dictumue fuerit, id nec diu latere potest, nec impune erit. Est enim Deus ille iudex aequissimus et oculatissimus, omne puniens mendacium, nulli parcens iniquitati. Multi tum petitorum tum reorum utuntur proemiis ad rem, qua de agatur, nihil pertinentibus. Recensent sua suorumque maiorum merita in rempublicam, quae si sint minus illustria, commemorant ea, quae aliquis unquam suorum gentilium, quamuis sanguine a se remotorum, praestitisset uel principi, uel ipsi reipublicae atque ut id pudore fiat minore, saepe per alios id curant suae causae actores, qui illis ornamenta ac triumphos gentilicios uel per uim applicent, ex quibus tandem acute argumententur puniendum esse illum, qui accusetur, seuerissime, si quidem partes accusatoris agunt, uel absoluendum, si defensoris. Non raro accidit, ut audiendis eiusmodi cantilenis

Polloni tollant equites peditesque cachinnum.

Cum autem tales praefationes ad rem institutam faciant nihil, sed uel emerendi fauoris iudicis eiusque mentis a ueri cognitione auertendae, uel aduersarii opprimendi causa aut certe ad tempus extrahendum iudiciumque frustrandum adhibeantur, toliendae sunt e medio et a foro iusticiae propulsandae uoceque praeconis (quod olim iussu Areopagitarum Athenis factum est) interdicendae ac partibus ipsis imperandum, ut de re ipsa loquantur aperte et simpliciter, sine fuce omni omnique fallacia. Omnino iudicis est, sine amore ac miseratione, sine ira, odio, inuidia, sine pertinacia de rebus pure et nude propositis, ex suis ipsarum rationibus ac argumentis, non ex personarum, nec meritorum aut demeritorum alicuius respectu, iudicare. Sedet enim, non ut cupiditati alicuius obtemperet, sed ut reddat unicuique ius suum. Olim datis clepsydris praescribatur partibus tempus ad dicendum, ne longitudine orationis abuterentur ad offundendas iudici tenebras. Verum iustissimum fuerit lege cauere, ne cui de re sua dicenti extra rem egredi neu praesidiis aliunde accersitis uti liceat. Facete admodum a Martiali notantur, qui uel exordiis, uel perorationibus illis delectantur, ad rem nihil spectantibus hoc epigrammate:

Non de ui, neque caede, nec ueneno,  
Sed lis est mihi de tribus capellis;  
Uicini queror has abesse furto.  
Hoc iudex sibi postulat probari  
Tu Cannas Mithridaticumque bellum  
Et periuria Punici furoris,  
Et Syllas, Mariosque, Mutiosque  
Magna uoce sonas manuque tota.  
Iam dic, Posthume, de tribus capellis.

Petitoris est actionis, qua utatur in reum, nomen diserte exponere; rei etiam exceptionis caput aperte declarare. Hoc enim praetermisso, uersabitur uterque tanquam in tenebris nebulaeque iudici offendentur, ignaro quid in ludicando sequi debeat. Illud etiam minime ferendum est in accusatoribus defensoribusque, ut magna hominum frequentia stipati aut etiam armis accincti ueniant in iudicium. Quorsum enim et cateruae eiusmodi, et arma pertinere intelligenda, quam ad metum incutiendum et iudici, et aduersario? Audiui magnum quendam et iudiciorum expertum uirum, cum narraret inter potentes et infimae sortis homines nullum eiusmodi iudicium longissimo iam interuallo celebratum esse, in quo potens quamuis nocens condemnaretur; concordia causas tales fere expediri, ut ad potentem lucri aliquid perueniat, uel summa aduersarii iniuria. Sin causa potentem cadere contingat, tunc tam iudici quam aduersario insidias strui et pericula intentari. Ergo omnes cateruae, omnia arma a subselliis iudicum amoueantur. Soli adueniant, inter quos res agitur, ad eum locum, ubi respectus nullus est personarum. Decet enim iudicem maiestate sui magistratus ac legibus ipsis ab omni ui tectum esse, quo liberius de re omni sententiam ferat iusticiae congruentem. Decet conditioni hominum quamuis tenuium contra periculosissimas omnium potentias consulere ac prouidere, decet omnes ad iudicem uenire, tanquam ad tutorem iusticiae atque ad eum, qui ius dubium explicet peruersisque hominum affectionibus modum imponat.

2. Non minus necessarium, ut in eos, qui in rempublicam uel honoribus obtinendis, uel facinoribus aliis perpetrandis aliquid commisissent, publice accusatores constituentur. Etsi enim iure optimo omnes ad publicas accusationes admittendi sunt, quod crimen et iniuria ad omnes pertineat, tamen quia et nomen accusatoris sustinere graue sit et officio fungi multo grauius, minore inuidia laborabunt, quibus haec persona a republica erit imposita. Idem de defensoribus sentiendum, ut constituentur qui reorum causas tueantur. Qui reus non est earum facultatum, ut soluere possit aduocato, qui se tueatur, huic respublica curet eiusmodi patronum suo sumptu, ne quis ob inopiam uel sua imperitia, uel ludicis errore, minus iuste condemnetur. Curent autem tam accusatores quam defensores, ut se strenuos gerant muneribus suis exequendis. Tam enim interest reipublicae sotes puniri, quam insontes absolui. Sola accusantem niti ueritate honestum est, conuiciis autem et maledictis indulgere turpe et inhumanum. Romae quidem honorificum sibi putabant uiri principes, tam accusare ciues noxios, quam defendere innoxios. Et certe magnificum est in primis omnibusque tum priuatis, tum qui in magistratibus sunt, gloriosum eum, a quo nulla priuatim iniuria laesus sis, accusare, eum etiam defendere, a quo commodi nihil expectes, sed solius reipublicae causa illum adducere in iudicium, hunc periculo liberare. Itaque M. Cice: Verrem accusauit; defendit Sestium, Muraenam et alios permultos. Idem fecisse C. Iulium Caesarem, illum Romanae monarchiae primum conditorem, Cicero testatur. Cato iunior tribunus plebis, cum iureiurando professus

esset se ei quicunque largitione adipisceretur magistratum diem dicturum esse, accusavit L. Muraenam consulem designatum ambitus, quod per largitionem obtinisset. Sed Muraena M. Cicerone defendente absolutus, tantum abest ut se inimicum Catoni praeberet, ut et in consulatu omnia ex eius sententia gereret et in reliqua uita illum[ obseruaret. Vidit nimirum Muraena Catonem non animo inimico, sed reipublicae studioso ad accusandum descendisse. Itaque uir bonus eiusque, cuius accusabatur, criminis minime sibi conscius, nihil de beneuolentia in Catonem sua remisit, sed magis etiam se; illi debere prae se tulit, quod reipublicae causa contra omnes, qui eam laesisse putarentur, acernme pugnaret.

3. Nec incommodum esset si, quemadmodum Romae olim et in Graecis rebuspublicis, apud nos quoque censores uel nomophylaces constituerentur, quorum munus esset, non tantum mutas legum litteras obseruare, sed corruptoribus contrauenire uimque et dignitatem earum tueri ac eis ita consulere, ne aut desuetudine abrogentur, aut temeritate et audacia alicuius uiolentur. Ad haec etiam facta hominum, quod in primo libro tradidimus, notare ad legesque reuocare atque accusatores, quid facto opus esset, admonere; ita inuidia inter multos partita magis tolerabilis foret.

4. Si leges ea breuitate et perspicuitate conscriberentur, ut facile disci et a quouis intelligi possent, certe illud quoque fieret, ut multi causas suas iudici exponerent neque necesse haberent causidicorum opera uti, qui profecto suis fucis causas saepe intricatiores reddunt et in multos annos extrahunt. Sic enim ex fortunis clientum suorum ditescere didicerunt. Itaque interest reipublicae iuratos causidicos habere, atque precia constitui, ultra quae nihila cliente illis petere liceat.

## CAPUT XIX

Executores sententiae a iudice latae; et hic de carnifice Recte illud constitutum est, ut de quo a iudicibus sententia lata est, id alii magistratus exequantur. Quo enim minus laborabunt ex invidia ii, qui res ab aliis iudicatas, perficient, eo facilius exequutionibus fines imponentur. Nescio, an carnificum hic mentio sit facienda, nam et illi ministri iudicum sunt, quorum imperata exequuntur et nisi illi essent, iudices sententiam suam, ne inanis esset, exequi oporteret. Quod si magistratus in hunc usum gladium gestat, ut nocentes puniat, certe qui carnifici a iudice porrigitur gladius, is magistratus esse putandus est. Non igitur propter eam functionem ex coetibus aut ecclesia eiiciendus est. Finge enim omnes seu infamia, seu sacrorum interdictione deterritos carnificum munus fugere, quis tandem facinorosos uel suspendet, uel detruncabit, uel aliis suppliciis afficiet? An ipse iudex? An nemo hominum? Omnino ut ne scelera impunita essent, oporteret publice carnificem constitui. Non igitur munus eius abominandum neque ipse fama, consuetudine hominum aut sacris expers esse debet. Hoc dicendum erat propter peruersa (ut ego puto) quorundam iudicia, qui non tantum societate ciuili, sed sacris coetibus et mysteriis a Deo institutis carnifices prohibendos putent, non aliam ob causam, nisi, quia iudicum imperata faciant.

## **CAPUT XX**

### **Poenae exigendae a condemnatis**

Cogatur autem omnes, qui condemnati sunt, iudicatum facere seu poena luenda sit capite, seu pecunia, seu quouis modo alio. Nihil enim perniciosius est reipublicae, quam cum quidam potentes poenas reipublicae non pendunt. Video etiam illud multis placere, ut ne quid multarum uel ad iudicem, uel ad accusatorem perueniat, sed uel ad partem laesam, uel ad rempublicam. Sic enim nec accusatores intendere alicui actionem, nec iudices aliquem condemnare suorum commodorum causa uidebuntur. Poenam reipublicae debitam nemini remittere fas sit, nec regi, nec ulli magistratum, multo minus hominibus priuatis. Quod cum in uniuersum accipiendum sit, tum uero de homicidii, adulterii, uirginum uitiatarum et id genus scelerum poena, quae ut exigatur, permultum interest reipublicae. Causa iudicata multa apud nos impedimenta sunt, quo minus executionibus fines imponantur. Est itaque regis in eos animaduertere, qui iudicatum soluere recusent. Qui si possessionibus careant, uinculis, uerberibus et suppliciis meritis afficiantur. Si fundos et bona habeant, ea (siquidem de recuperatione agatur rerum amissarum) publice possideantur a rege ac res iudicata ex aerario soluatur ei, cui debetur. Improbant quidam, quod diximus, quasi haec sit uia ad tyrannidem, quam principes praetextu defendendi inopes facile possint occupare. Verum si recte iudico, non praetextus nec occasiones inopes defendendi ad hunc modum captantur, sed res iudicatae, stabiliuntur, quibus status reipublicae maxime continentur. Quorsum enim sententiae feruntur, decreta imponuntur, si qui damnatus est, iudicatum facere recuset? Quotus autem quisque damnatorum est, qui non recuset? Vix est aliquis, quamuis iustissimam causam habens, qui ex edicto in possessiones damnati uenire permittatur, nam uel eas adire prohibetur, uel si adeat, altero die exturbatur. Atque illud oppido quam ridiculum etiam regiae potestati (brachium regale uocant) possessionem ob rem iudicandam capere uel a uetula uno uerbulo prohiberi posse. Et duplicantur quidem a iudice aut etiam triplicantur mulctae exturbatoribus, uerum haud scio, an qui eas unquam dependerint. Iniuriam uero passi, non tantum de fortunis, sed de capite periclitari coguntur, nec domi nec foris tuti esse possunt ab illis, qui intulerunt. Multis ista uadia (sic enim mulctas uocant) duplicata, triplicata, seu etiam decuplicata magis ad iusticiam extrahendam quam promouendam excogitata uidentur. Multi summa uoluntate duplicationibus istis caruissent, si modo ius suum recuperassent, sed res iudicata saepe haeret in salebra.

## CAPUT XXI

**1. Leges a quibus emendandae. 2. Methodus earum unde sumenda. 3. Scribantur uerbis perspicuis et rationibus additis. 4. et de rebus similibus similes. 5. et unis populis unae. 6. Plus debent ualere, quam mandata principis**

**Sed caput horum omnium est, ut leges emendentur uiaque et ratione conscribantur.**

1. Qua de re saepe actum est in conuentibus anniuersariis, sed semper multa desiderata sunt illis correctionibus. Nonnulla ex quorundam libidine magis quam ex aequitate constituebantur, uetera abrogabantur, noua excogitabantur. Hinc fit, ut tot leges, tot constituta sint, ut nullius industria aut memoria sufficiat omnibus complectendis. Neque tamen ea diuturna sunt, pleraque anno uertente in nihilum uertuntur iudicibusque magnam afferunt dubitationem ignaris, quid iudicando potissimum debeant sequi. His adde mandata principis in alicuius gratiam data, quae et ipsa distrahunt iudicis animum, quasi in biuio haerentem, qua uia ad sententiam ferendam sit ingrediendum et an mandatis an constitutis magis obtemperandum. His rebus occurri non potest, nisi ratio alia inita fuerit legum figendarum. Qua de re multa mihi cogitanti nihil magis commodum reipublicae uisum est, quam si ex omnibus ordinibus peritissimi quique deligantur, non ii tantum, qui iudiciorum formas et cautiones quique leges et consuetudines patrias cognitae habeant, sed qui legum aliarum sint periti ut pontificiarum, Romanarum et gentium aliarum, qui et historias omnium aetatum et philosophorum de moribus ac legibus disputationes et sacrorum Bibliorum sanctiones habeant perspectas, qui exterarum nationum mores uiderint et urbes, denique qui sint ab omni eruditione liberali quam paratissimi. Tales enim fuisse ueteres et legislatores et iurisperitos, qui et Graecis et Romanis leges conscripserunt, monumenta illorum testantur. Itaque et leges recte et ordine scripserunt et eas posteritati longum uicturas commendarunt. Certe aut ab hominibus eiusmodi aliquid constituetur ad perpetuitatem aut a nemine alio. Quid enim certi et diu duraturi potest ab istis constitui, qui magis in rei familiaris cura et forte etiam nonnihil in foro uersati sint, earum uero artium, quae fontes legum et omnis aequitatis continent, sint ignari, res ipsa saepius iam declarauit. Igitur, si placet, liberemus hac legum emendarum cura fere quotannis redeunte homines equites eisque res bellicas, tanquam materiam, quam tractent et in qua se exercent,



relinquamus, prouinciam uero legalem omnem iurisperitis, philosophis, historicis demus, hominibus maiore, ut par est, iudicio, mitioribus et minus perturbatis affectibus, quam reliquum hominum genus, ut ueri simile sit et prudentius, et minore aut certe nullo personarum respectu eos reipublicae consulturos, meliusque in re omni aequitatem perspecturos, quam eos qui in luce hominum uiuentes, plus uel temporibus, uel amicis, uel affectionibus priuatis inseruire consueuerunt. Multi damnant Ulpiani sententiam, qua scripsit principem legibus solum esse; quae etsi commodum sensum habeat, ut infra ostendemus, tamen quia Ulpianus pro tutore habitus est ab Alexandro Seuero imperatore, putant eum magis gratiae causa quam ex ueritate ita scripsisse. Sed de hoc uiderint, quibus haec sunt magis perspecta. Tametsi uix putem sensum dicti illius germanum ex paucis iurisconsulti uerbis elici posse, cum quidem integra iurisperitorum temporis illius scripta desiderentur. Quod si a talibus metuendum esset, principes etiam multis affectibus saepe impediuntur, quo minus uideant, quod rectum sit, de quorum nescio quo proditum est:

Fixit leges precio atque refixit,

haud sciam, cui melius committatur tractatio legum, quam quibus dixi hominibus in omni doctrinae genere uersatis, ab ambitione et aura populari alienis. Addamus, si uidetur, ad illos eos quoque, qui in foro sint multum uersati. Est enim horum quoque artificum haec tractatio propria, in qua ingenium et artes poterunt exercere suas. Aliqui iurisperiti aut legislatores memorantur, qui leges composuerint principibus commodas, populis subiectis incommodas, nonnulli metu, alii spe, alii amore, quidam aliis affectionibus impulsus, quales et hi fuisse uideatur, qui odio plebeiorum multa indulerunt ordini equestri. Et tamen leges omnes receptae sunt ab hominibus partim stultis, partim meticulosis, aut aliis et aliis cupiditatibus concitatis. Sed uulgi imperitum et imbellem facile impelli cogique potest ad omnia perferenda. His rebus omnibus prudentis est legislatoris occurrere, ne quid committat legibus ferendis, quod bono et aequo repugnet. Non licet illi partium esse studioso, qui toti reipublicae consulit. Decet eum omnibus perturbationibus uacuum esse, qui ad solam aequitatis normam omnes leges dirigere debet; non enim est locus nec bonis consiliis, nec aequitati, cum animum prauae ac distortae affectiones occuparunt.

2. Neque illud dubitandum est, multa ex legibus Romanis mutuanda esse; imo uero si quid solidi et constantis efficiendum est, uia et ratio, quam Graeci methodum uocant, tota ab eis sumenda est. Neque ego ignoro multa in iure Romano desiderari a multis. Iustinianus imperator breuitatem desiderabat; ideo ueterum iurisperitorum iustis uoluminibus (ut ferunt) exustis in compendium ius redigii curauit; uetuit etiam, ne quis praeter breuiaria et epitomas in leges aliquid scriberet. Alii alia desiderant; ideo et Saxones, et Frisii, et alii Germaniae populi, quamuis Romano imperio subiecti sint, legibus municipalibus magna ex parte uiuunt. Hodie tanta est turba commentariorum, quae ius magis confundant quam explicant, ut non immerito compendium legum aliquod a multis prudentibus requiratur. Et tamen si quis ad leges suae reipublicae scribendas animum adiiceret, hic certe legibus Romanis multum iuuaretur, multa enim in eis extant ueterum iurisprudentum et imperatorum prudentissime consulta et decreta. Erant uiri illi perquam diligentes et ab omni liberali eruditione etiam usu ipso paratissimi. Sed quae scripta ab illis manibus studiosorum teruntur, ea integra non sunt. Itaque in eis apparet tum legum quarundam pugnancia, tum aliquando eiusdem rei eodem in loco inutilis repetitio. Caeterum methodus legum haud scio unde melior, quam ex Romanis legibus,

petenda sit. Multa incommoda sequuntur doctrinae incertitudinem. Igitur ex Romanis sumenda est uia et ratio legum tradendarum. Haec autem et in scholis doceatur, et in foro usurpetur, commentariorum immensitas abiiciatur, simplex et aperta ratio aequitatis aperiatur. Hinc sequetur iudiciorum certa obseruatio; difficultates multae uitabuntur.

3. Scribantur autem leges uerbis perspicuis, quae minime cauillationibus sint expositae, et de similibus rebus similes, et unis populis unae rationesque aliquae addantur legis aequitatem indicantes. Obscuritas enim illa uocum multos nobis peperit interpretes, simulque ansas dedit uarias litigiorum. Est in nostris legibus scriptum, ut si quis alicui graue dixerit conuicium, ac statim, quod dixit, non recantauerit, luat poenam marcarum sexaginta, simulque palinodiam canat. Vocatur quispiam in iudicium, qui conuicium factum statim non recantauerit; ille apud iudicem recantat ac uoculam „statim” de illo instanti, quo ad iudicem uocatus se ad primam diem stitit, intelligendam dicit. Peruertere hoc quidem est, non interpretari. Certe mens legislatoris erat, ut uel subito, ueleodem in colloquio conuicia recantarentur. Talia enim uidentur uel lapsu linguae, uel subita quadam animi concitatione, non studio obtrectandi nec de industria dicta; ideo legislator uenia digna putauit. Quemadmodum et mimus dixit: „Ignoscere humanum esse, ubi pudet, cui ignoscitur”, et Iulius Paulus iurisconsultus reliquit scriptum: „Quicquid calore iracundiae uel fiat, uel dicatur, non prius ratum esse, quam si perseuerantia apparuerit iudicim animi fuisse.” An uero tibi uidetur noluisse inquinare famam tuam, qui conuicio hodie in te iacto canere palinodiam sponte non uoluit, nisi im ius uocatus? An statim retractauit dicta sua, qui anno expleto retractauit? Fieri enim potesit, ut non prius eius rei iudicium quam anno exacto exerceatur. Atque illud mihi admirari subit tam ineptam interpretationem uulgo a iudicibus in causis iudicandis recipi, cum tamen et cum aequitate pugnet, ut iam ostensum est, et sermonis natura minime ferat, ut particula „statim” ad illum sensum, quem dicunt, retorqueatur. Est qui ita imperet seruo suo: Confecto negotio, quod tibi imperaui, statim; redibis ad me. Quis seruorum tam est ineptus, ut illud „statim”; interpretetur: cum a domino noua mandata de redeundo accepero? Nullus, opinor, nisi qui uel sk mentis inops, uel mandatum domini „<sup>36</sup> plano et dilucido sermone datum, calumnia et malicia ludificari uelit. Facessant igitur a foro eiusmodi calumniae et ineptiae. Legibus etiam breues addantur rationes aliquae, aequitatem explicantes. Nam et homines cordati libentius illis parebunt, cum ad aequitatem uidebunt compositas, et mali non facile eas eludent maliciosa interpretatione. Sit enim lex, quam dixi, ad hunc modum scripta: „Maledici conuiciatores sexaginta marcis mulctantur, nisi Torte dictum contraria sententia sine mora damnarunt, dignus enim est uenia, quem statim poenitet facti, neque cogitatum, neque de industria factum scelus uideri debet, cuius palinodiam paulo post canere author non dubitat.” Si igitur ad hunc modum legi ratio et causa fuerit adiuncta, certe ea non sinet uel illud „statim”, uel hoc „sine mora” falsa interpretatione corrumpi. Sed sunt, qui existimationi suae parum consultum putent, nisi conuicium in se iactum ad iudicem fuerit uel recantatum, uel a conuiciatore prorsus negatum. Quod mos quidem minime improbamus. Atque hoc sensu legem illam sic scribendam putarem, ut qui ad iudicem uocatus non continuo uel neget, uel recantet dictum, cuius accusetur, lege conuiciatoris teneatur. Quod autem exempli causa diximus de una lege, idem de reliquis intelligi uolumus. Cessarent hac ratione et nocentium reorum et causidicorum, lites serentium impudentes calumniae; haberent etiam iudices et boni uiri, quo sensum legis uerum defendere possent ac tueri.

4. Non minus et illud necessarium, ut de rebus similibus similes leges ponantur, quod in similitudine eiusmodi prudentia, bonum consilium, aequitas maxime resplendeat, in dissimili-

tudine temeritas, consilii inopia, iniquitas et iniuria cognoscatur. Est lex apud nos de praetore, seu (ut nos loquimur) sculteto inutili ordine suo mouendo deque eius possessionibus redimendis. Optima lex profecto et digna, quae in republica usurpetur. Est enim boni praetoris ius inter ciues suos dicere, cunctam ciuitatem poenae metu ac praemiorum spe in officio continere; deinde possessionum, quas prae ceteris habent ampliores, nomine moribus nostris in expeditionem, cum res poscit, ire. Haec qui praetor praestare non possit, ferendus certe non est in suo ordine, plus enim reipublicae consulendum est, quam priuati hominis commoditatibus. Quod si interest reipublicae id curare, cur etiam non eadem lex ad reliquos magistratus transferenda est? Omnino ex aliis magistratibus, si indigni sunt, qui eos gerunt, plura ad rempublicam incommoda perueniunt, quam ex inutili praetore. Ergo si iste ad eum modum, quem dixi, plectitur, cur non etiam inutiles episcopi, inutiles palatini, inutiles castellani, inutiles praefecti, seu capitanei, inutiles iudices, inutiles scribae ordine moueantur, cum quidem uniuscuiusque istorum indignitas plus nocet reipublicae, quam plurium scultetorum? Sed forte, qui legiis de sculteris authores erant, domini scultetorum erant, itaque tulerunt legem qualem uolebant, nempe scultetis formidandam, sibi ipsis minime. Quid autem tyrannum est agere, si hoc non est? Non enim ab eiusmodi legislatoribus reipublicae habita est ratio. Nam qui rempublicam recte curare uult, et omnes eius partes curare debet, et potiores partes magis curare, ex quibus nimirum bene se habentibus plus reipublicae salus pendeat, quam ex reliquis. Etenim si tu uel in nonnullas tantum animum intendas, uel minores duntaxat relictis summis emendes, a re admodum (ut est nostratibus in prouerbio) tenui rerum maximarum sumis exordium, extremitates corporis et ueluti crines et ungues repurgare contendis, caput uero ipsum, oculos et manus, quamuis se male habeant, incurata relinquis. Videmus hanc legem non unicuique reddere ius suum, sed aliis metum incutere, alios in aurem utranque securos reddere; aut igitur tollenda est, aut ad modum iam dictum amplificanda. Non decet uos, qui gubernatis res humanas, unicum tantum hominum genus ob indignitatem punire de illoque solo statuere, quid eos habere, quid non, quem ad finem et quousque liceat, in uos uero ipsos tanta indulgentia esse, ut etiam si inertissimi et in uestro officio negligentissimi sitis, nemo uos propterea in ordinem redigere possit. Quin si estis reipublicae plus quam uestrorum commodorum amantes, a uobis ipsis hunc ordinem incipiatis necesse est. Et haec de lege ipsa, nunc de eius interpretatione. Vulgus dominorum inutilem scultetum interpretantur, cuius fundos in suum commodum queant conuertere. Hoc uero non interpretari est, sed legem bene scriptam cauillari. Profecto enim inutilis putandus est, qui non facit, quod sui est munus et ex quo nulla utilitas ad rem uel publicam, uel priuatam cuiusuis redundet. Nam si interpretatio illa locum haberet, tunc quidem dominis auaris occasio daretur, subditos, quorum bona occupare uellent, expilandi. Sed illi cauillatores addunt causam suae interpretationi, quod se sumptus facere oporteat immodicos et in familiam alendam et in suppellectilem uariam et in epulas. Quidni faciant? Atqui mala facienda non sunt, Paulo apostolo teste, ut eueniant bona nec campanile (ut nostri homines loquuntur) spoliandum est templi tegendi causa. Cur igitur tu hominibus panem ex faucibus eripis? Cur eos ad egestatem redigis? Imo cur causam praebes eis uel ad furta, uel ad alia facinora propter tuum seu necessarium, seu mentis errore a te fictum splendorem? Nescis multos ante te uiros maximos, quorum tu in locum successisti, non minores te sumptus, fecisse, nihilominus splendide uixisse, pauperes subleuasse, amicos ditasse, ecclesias locupletasse, et tamen possessionibus suorum subditorum prorsus abstinuisse? Quas cum tu inuitis illis eripis, an putas te inde ditiores futurum? Imo et Indies

magis egebis et breui (nisi respiscis) maledictionem Dei senties, nec diu sudore alieno frueris. Omnino reipublicae interest tales interpretes in ultimas insulas relegare, qui maliciosa et perniciose interpretatione multas pestes bonis moribus inferunt. Ibitur autem obuiam peruersis eiusmodi interpretibus, si lege potestas eis erit adempta tum redimendi scultetum suum, tum de eius inutilitate iudicandi. Iudicium enim omne tres exigit personas nemoque suae causae iudex esse debet. Igitur eius rei, quemadmodum aliarum, iudicium omne sit legitimorum iudicium. Inutili porro sculteto potestas sit, ut uel donet, uel iusto legitimoque precio uendat non domino, nec cui ille uelit, sed ei, qui ipsimet sculteto idoneus uidebitur. Utile est autem reipublicae ordmem hunc conseruare et tueri tum propter iudicia, quae uel in pagis, uel in oppidis exercent, tum propter expeditiones bellicas. His rebus potius consulendum est, quam licentia dominis permittenda statuendi de scultetis, quod uelint. Curabit igitur legislator et legem breui addita interpretatione illustrare propter sycophantas et cauillatores, et de rebus similibus leges similes scribere.

5. Huic uero ipsi danda est opera, ut unas leges scribat omnibus his prouinciis, quae unius principis dicto audientes sint. Nam hoc profecto monstri simile esse uidetur, ut qui in una republica uiuunt quique uni principi obtemperant diuersis legibus utantur. Est enim respublica quasi corpus alicuius animantis unum, cuius membra omnia eodem spiritu uegetentur, omnes actiones ab uno quodam fonte procedant, aut est quasi corpus hoc mysticum ecclesiae uni Christo principi et capiti suo coniunctum. Cum igitur unae leges a Christo ipraescriptae sint membris omnibus corporis huius, quod est ecclesia, cur etiam non eadem leges omnibus populis praescribantur, qui sub eodem principe uiuunt? Certe una est ratio iusticiae ius suum unicuique tribuens. Cur igitur non eadem iura sunt, quae ab iusticia unicuique tribuantur? Cur possessiones, quae mihi iure Chelmensi acquiruntur, eadem iure Magdeburgensi adimuntur? Cur iure Polonico bona fratris mortui sorori superstiti adimuntur, eadem illa iure Mazouitico adiudicantur? Oportuit homines talium iurum conditores, tam diuersorum tamque discrepantium, alios natos esse in oriente, alios in occidente sole. Tametsi uere si existimandum sit, simile lumen ueri cognoscendii et diudicandi omnibus hominibus natura inditum est, sed quia non eodem modo excolitur, ita fit, ut alli acutius cernant aliis. Atque utinam et leges ciuiles et pontificiae eadem essent. Cur enim illae gentis ex duobus fratribus sororibusue, matrimonium contrahere sinunt, istae non sinunt? Cur illae, sine consensu parentum matrimonium inire non permittunt, istae permittunt? Cur illae uitiantem uirginem non cogunt, ut eam habeat in matrimonio, istae cogunt? Denique cur illae sermone praeditis, uel sine uerbis, modo consensus interueniat, matrimonio coniungi permittunt, istae non permittunt? Haec enim et alla permulta a Bartholo iurisperito copiose sunt exposita. Omnino ius esse nequit, quod ab iusticia seiunctum sit. Est enim iusticia quasi fons, ex quo iura manant omnia. Cum igitur iusticiae regulam unam esse oporteat, qua aequum et iniquum iudicentur, eam autem et perpetuam et constantem, sequitur etiam iura, quae quidem recta sint, eadem esse oportere. Nisi forte uarietas est rerum tanta, ut leges quoque uariis in locis distinctas esse oporteat. Veruntamen quanturo effici potest, connitendum est, ut de rebus iisdem eadem prodantur leges. Nam propter legum diuersitatem et professores diuersi sunt et multae iuris cautiones multaeque tergiuersationes natae, quae lites infinitas et multorum annorum spaciis durantes pepererunt.

6. Cum autem haec de emendandis et condendis legibus erunt perfecta, tum illud sancendum, ne quid contra legem ualere possit, ne mandatum quidem principis. Certe enim respu-

blica non arbitrio principis, sed ex legum praescripto administranda est. Tyrannica enim est sententia, qua princeps aliquid contra leges fingitur posse; itaque tanquam fax quaedam ad nefarias cupiditates principum animos accendens, extinguenda et ex republica explodenda est. Illi uero, qui dixerunt principem legibus solutum esse, ad perfectum et numeris omnibus absolutum principem respexisse uidentur, quem quidem prudentissimum omnium, iustissimum et optimum esse conuenit. Huic autem tali lege quid opus esset, qui sponte sua faceret omnia, quae lex precipiat? Imo uero talis uia lex esset et exemplum omnibus propositum ad imitandum. Caeterum cum multi principum conscii sibi essent imbecillitatis suae dignam uocem esse maiestate regnantis scripserunt legibus alligatum se principem profiteri suamque auctoritatem de iuris auctoritate pendere ac principatum legibus submittere maius esse, quam imperare duxerunt atque quod aliis, id sibi quoque minime licere iudicarunt. Quae sententia magis omnino principi suggerenda est, ut cognoscat se hominem esse, hoc est, animal erroribus obnoxium utque sciat legum ferendarum potestatem a republica sibi tributam esse easque se ferre reipublicae, cuius personam gerat, nomine. Cumque et ipse ad eandem rempublicam tanquam caput ad totum corpus pertineat, se iure cum membris aliis uiuere debere. Sententia Ulpiani parum commoda est, nisi forte quis princeps ita est iustus, ut Christus fuit aut alii iusti homines, quibus legem positam esse negat Paulus. Sed intelligit ideo positam non esse, quod illi spiritu Dei agantur sponteque faciant, quae iussa sunt. Sed haud scio, an Ulpianus huc respexerit, nam et mulierculam Augustam eadem piriuilegia a principe habere dicit, etiamsi legibus soluta non sit. Quae uox indicat Ulpianum gratiae causa sic scripsisse. Quanto melius Aristoteles: „Non hominem,” inquit, „imperare sinimus, sed rationem, hoc est legem naturae et iudicium de rebus agendis uirorum sapientum.” Princeps uero custos et conseruator est iuris. Unum enim aliquem leges habere in sua potestate minime decet idque tyranni esset, non boni principis. Decet igitur, ut et regibus, et omni magistratui praesit lex, qua se contra animi perturbationes muniant, regulam habeant et seipsos, et populos gubernandi. Haec habuimus, quae de legibus uel ferendis, uel emendandis, de iudiciis, item et rebus ad ea pertinentibus diceremus. Libro etiam primo diximus tum de moribus, tum de personis, quae mores regant et tueantur. Utinam autem haec ab omnibus considerentur et pro cuiusque portione impleantur. Magna est ubique et quasi fatalis legum et disciplinae dissolutio, quae quidem praenuncia est dissolutionis et interitus Reipublicae. Quo magis diligentia et seueritate magistratus opus est, ut ciues contineat in officio, petulantiam coerceat, disciplinam tueatur, iudicia seuerè administret. Ciues uero decet, ut magistratibus obtemperent, omnia, quae diximus, cum animis suis considerent ac externis exemplis moueantur. Tempus certe hoc est, quo publicas clades gemere debeamus, impendentes uero assiduis gemitibus et precibus auertere. Qui enim non emendant mores, qui legibus non obtemperant, hi publicas calamitates accersere putandi sunt. Certe ex Republica digni sunt, qui exterminentur, ne ob eorum malitiam et boni plectantur et tota respublica intereat. Reliqua, quae promisimus, iam exequamur.